
M. Nicolle Eust. Lenans



VINEA DOMINI.

Cum breui descriptione sacramentorum, et Paradisi, Limbi, Purgatorij, atque Inferni,

À CATHECHISMO, catholicis que Patribus excerpta.

PER D. LAVRENTIVM *Petium de Colonia;*

Cum appositis figuris tam noui, quam ueteris Testamenti.

VENETIIS,
Apud Hier. Porrum.
MDLXXXVIII.
Cum Priuilegijs.



ILLVSTRI
FIRMO PORRO
IVR. VTR. DOCT.
CLARISSIMO
VNI EX DOMINIS
MANTVAE DVCALIS
MAGISTRATVS. &c.

Hieronymus Porrus
S. D.



ANC ſacram DOMINI VINEAM qua nuper ab eius Authore donatus ſum, ampliſſimo nomini tuo pluribus de cauſis dicare æquum eſſe duxi, ſed potiſſime

A 2 ex-

extiterunt tum meus in te amor, ac obſeruantia, tum operis dignitas, quæ præſtantiſſimum uirum, cui nuncupari poſſet flagitabat. Qui cum ũnus ex omnibus eligendus fuiſſet inter multos grauiſſimos, : neceſſitudine mihi coniunctos & quem tecum compararem nuſquã reperi. Tu enim Religione, Doctrina, ſummisq; virtutibus perornatus cæteris mihi carior eſſe debes, cum maximè præſtes antiquitate, ac imaginibus Auorum, quorum nominibus, ac rebus præclare geſtis multi ſcriptores libros ſuos exornarunt: quibus omnibus compertum eſt, plurimos ex hac noſtra illuſtri progenie Heroes ampliſſimis honoribus decoratos apud Summos Principes toto ferè terrarũ orbe floruiſſe. Quid plura? Ioannes

nes Angelus Porrus is fuit, quem non modo Historici in suis Annalibus habere peroptarint, uerùm etiam Deus ipse Opt. max. in Sanctorum suorum numerum aggregarit. Hic enim ab ineunte ætate igni diuino flagrans Seruitarum ingressus Religionem, omnibus fortunæ bonis, quibus maxime afflue bat prorsus neglectis, nihil magis curauit, quàm ut cælestia vere bona tandem possidere posset. Hac etenim mundi Sylua relicta in Vineam CHRISTI migrans, eam sic excoluit, ac putando custodiuit, vt optimus Agricola à summo Deo appellari, tandemq́. post ingentes labores fructus uberrimos cumulate recipere meruerit. Hic etiam arctissimis Religionis suæ le gibus obstrictus, atque deuinctus

in abditas, horrentesq́. Montis Senarij cauernas profectus, acerrimam ibi, ſanctiſſimamq́. uitam agere conſtituit, quippe qui nondum viginti annorũ confecto curriculo, ieiunijs, orationibus, diſciplinisq́. vacauit, donec ſibi à Deo opt. max. mortis hora ſignificata Mediolanum reuerſus ægritudine affectus eſt. Qui ſicut viuens multis miraculis claruit; ſic etiam à corporis compagibus abſtractus dignus effectus eſt, cui Angeli palam inſeruirent, eiusq́. incorruptum & glorioſum corpus per multos dies inhumatum iacuit, quod populus Mediolanenſis inuiſere, & venerari nunquam ſatis habuit, veriſſimis Cronicis eiuſdem Religionis id atteſtantibus. Tu igitur, qui tanquam fulgentiſſimum Sydus è tanto lumi

ne

ne exortum ſacrarum litterarum ſtudio maiorem in modum delectaris, hoc munus hilari fronte excipe; Nam huiuſcemodi lectione ad ſempiternum æuum perfruendum ita mentes excitantur, ut nihil præſtantius ab omnibus Catholicæ Fidei cultoribus exoptari queat. Quod quidem tum ad poſterorum vtilitatem, & gloriam, tum ad meæ in te voluntatis propenſionem declarandam gratiſſimum fore ſpero. Interea maiora beneuolentiæ pignora, & obſeruantiæ erga te meæ ſigna expecta, & me in tuo ære poſitum dilige, ac perpetuo foue.

Camilli Cautij. I.C. Ad Laurentium Petium

At tua Laurenti vitæ dat Vinea fructus,
Diuini Cultus myſtica ſigna ferens.



Marci Antonij Mazzonij.

Vinea quid ſignat, fructus, floresq́, roſæq́,
Explicat hic Petius relligione grauis.



LAVRENTIVS PETIVS CANDIDO LECTORI.

CVM semper optauerim optime lector, omnibus prodeſſe, omnibusq́. rem gratam facere, religioſis uiris præſertim ijsq́. Sacerdotibus, qui ſe totos pietati tradentes, ea quæ ad Sacerdotale ſpectarent munus optime tenere deſiderarent, id plus quàm in cæteris circa Sacramenta efficere conatus ſum: Quippe, qui multorum precibus, eorumq́. ualde mihi Familiarium, multis annis antequàm Catechiſmus in lucem prodiret, illud edidi opuſculum, quod Epitome Sacramentorum inſcribitur; quod opus pergratum, & utile omnibus accidiſſe iudicaui, cum toties totq́. in ciuitatibus typis mādatum ſit. Demum mihi uiſum fuit, aliquam pulcram, nouamq́. uiam commentari, qua quis localem ſibi memoriam Sanctiſſimorum Sacramentorum efficere poſſet, ſicq́. commentatus eram, figurasq́. etiam triumphantis illius, huiusq́. militantis eccleſiæ delinea-

lineaueram, in hisq. figuris Paradiſum oſtendebam, cum omnibus ijs gaudijs, quæ in eo à cunctis ferè excogitari poſſet, cum Chriſto ſponſo, ſponſaq. eccleſia ſua Sancta, Vineaq. ſepe circundata eſset in ijs conſpiciebatur militiæ huius eccleſiam repræſentans, in quam magnus ille paterfamilias Deus diuerſis horis diuerſos operarios mittit. Hanc ſeptipartitam effinxeram, ut ſeptem eccleſiæ Sacramenta indicarent, Veteriſq. teſtamenti figuras ijs aptaueram, nempe Archam Diluuij, Circumciſionem, Tranſitus maris rubri, aliasq. figuras, quibus Sacrum Baptiſma exprimitur adiunxeram. Propè hæc etiam, & Lymbum, & Purgatorium. Altera uero parte Infernus cōſpiciebatur, ijs aſſignatus, qui opus perficere noluerunt, immò uerò ſubſtantiam ſibi traditam à patre diſſiparunt, & ab Eccleſia ceſſerunt, qui in Infernum recipi uidentur. Quæ omnia breuibus quibuſdam Declarationibus illuſtranda curaui, ea mente, ut in tabulam unam imprimerentur, & ſic poſteritati commendarentur; Hæcq. ante peſtilentiæ tempus, cuidam familiari Venetijs dederam, ut opus perficeret, qui cum

mor-

morbi immanitatem incrudeſcere uidiſſet, fugam arripuit, ego autem tunc temporis, & laborem, & opus perdidiſſe putaueram: Deo tamen optimo maximo gratias ago, qui mihi largiri dignatus eſt, cum poſt biennium Venetias reuerſus fuiſſem, quod opus, quamuis imperfectum, inuenerim. Cumq́. Hieronymum Porrum mei amantiſſimũ conueniſſem, qui ſimili modo omnium commodi eſt ſtudioſus, ac me ita ſentire intelligeret, mihi facile perſuaſit, optimum gratumq́. opus fore, ſi liber figurarũ in Diuerſas tabulas digeſtarum ederetur, quæ certo ordine compoſitæ ſuas proprijs locis paſſim declarationes haberent, ut quilibet ſacerdos, uel clericus totam huius rei ſeriem memoriæ mandare, ac retinere facillimè poſſet. Quòd tùm quia multi refert, tùm quia illis ualde neceſſarium eſt; qui piè, ac religiosè uiuunt, gratum fore perſpiciebat. Ad hæc addebat maioris commoditatis eſſe, eorum præſertim, qui parum oculorum acie ualent, ut charactere paulò maiori opus traderetur, ſententiam hanc ſuam ipſe probaui, totumq́. hoc ei negotium delegaui, qui quidem nulli ſumptui parcens, ac omnium etiam be-

neficij

neficij cupidus, opus istud sanè cum omnibus supradictis figuris ære incisis exornatum reddere curauit. Hic studiose optimeq́. lector, humanæ huius nostræ vitæ statum, tum in hoc mundo, in quo uiuimus, tum in alio, ad quem peruenire sperامus, & nitimur, facile contemplari potes. Figuras enim habes, quæ oculum pascant, & alliciant, ac itidem scripturam, quæ mentem trahat, & eleuet ad ea, quæ & scire, & intelligere uir Christiana religione munitus omnino debet. Ad hoc igitur clericos hortatos maximè uolo, ut hæc mysteria, his figuris expressa, & quasi ob oculos posita contemplari continuè non aspernentur, si tamen beatas illas sedes implere desiderant, quæ Christi fidelibus in cælo seruantur. Nam, (teste Dauid) beatitudinē assequitur, qui Dei legem dies noctesq́. meditatur. Quòd autem candide lector, hoc opusculum studiumq́; meum, ac laborem, & industriam familiaris nostri Porri, ut studiosē complectaris non oro tantum, uerum etiam hortor, spero enim hoc non tàm tibi iucundum, quàm perutile fore. Vale.

Signi-



Significatio, seu Declaratio, ac Index rerum & nominum quæ continentur in Figura totius Vineæ.

A. VRBS beata Hierusalem figuratur pro Paradiso, de quo in isto. Cap. I. fol. 1

B. Figuræ duæ, scilicet viri, & mulieris in porta palatij Ciuitatis Hierusalē, figurantur pro Christo Domino nostro sponso, & sponsa sancta Matre Ecclesia, qui tanquam sponsus procedit de thalamo suo.

C. Aquæ exeuntes de Ciuitate sancta, trāseuntes per mundum & Vineā, & iterum redeuntes in Ciuitatē Sanctam, Sunt gratiæ diuinæ, quas habuerunt Sancti Patres, ac omnes fideles, per quas introierunt in sanctam Hierusalem.

D. Figuræ extra Vineā, designant Mundū, in quem uenit Summus ille Pater familias Deus conducere operarios in Vineam suam, horis descriptis, ut in Euangelio Sancti Mathæi Cap. XX.

E. Hora prima,

F. Hora tertia.

G. Hora Sexta & Nona, &

H. Hora Vndecima.

Qui in vineam introire noluerunt, Sunt infideles, & facta carnis, mundi & diaboli sequentes, qui per uiam latam descendunt in Infernum.

I. Est limbus, uel sinus Abrahæ, de quo in isto Cap. II. fol. 4

K. Archa diluuij in dieb. Noe, figura fuit baptismi, de

qua ſcribitur in Cap. III. fol.8.

L. Circuncisio pariter figura fuit Baptiſmi, in eodem Cap. ut ſupra. fol. 8.

M. Trãſitus Maris Rubri idẽ oſtẽdit in eodẽ C.f.9.

N. Qui in lectulo iacet, & qui genuflexus demonſtratur pro baptiſmo flaminis ſiue ſpiritus, de quo in eodem Cap. de triplici baptiſmate. fol.11.

O. Qui ad Columnã Idoli occiditur, oſtenditur pro baptiſmo Sãguinis, de quo in eodem Cap. ut ſupra.

P. Qui ad flumen extra, & apud Portam Vineæ baptizare uidentur, ſunt, quod quilibet in caſu neceſſitatis poteſt baptizare, ut in eodem Cap. fol. 12.

Q. Qui in Porta Vineæ habitu Sacerdotali indutus baptizare uidetur, figuratur pro ipſo Sacramento baptiſmi Ianua omnium Sacramentorum, de quo dicitur in eodem Cap. III. fol.7.& 11.

R. Figuræ congregatæ in eodem loco cum columba, quæ pro Spiritu ſancto accipitur, figurantur pro Sancto Criſmate uel confirmatione, de qua agitur fol.16. in Cap. IIII. de Confirmatione.

S. Epiſcopus criſmans, & patrini tenentes, idem ſignificant, ut in eodem Cap. IIII. ut ſupra.

T. Torcular & figuræ apud ipsũ, deſignant contritionẽ, de qua declaratur in cap. V. de Pœnitentia. f.23.

V. Figura genuflexi apud figuram Sacerdotis pro cõfeſſione accipitur, de qua in eodem Cap. fol.24.

X. Figura Sacerdotis celebrantis, & aliæ figuræ orãtiũ, eleemoſinã præbẽtium, & peregrinantium, pro ſatisfactione accipiuntur, ut in eodem Cap. fol.27.

Y. Figuræ ad menſã, quæ extremã Domini Cænã demõſtrãt, pro Sacramẽto Euchariſtiæ accipitur: in ea enim Cęna hoc ſanctũ Sacrificium & Sacramentũ à Chriſto Domino inſtitutũ fuit, ut in cap. VI. f.32.

Z. Figura ſacerdotis qui communicare uidetur, idem ſignificat.

Aa. Turris pro Eccleſia ponitur, bene fundata ſupra firmam petrã, in ſummitate cuius eſt Summus Pontifex Chriſti Domini Vicarius & beati Petri Succeſſor ſummum dignitatis gradum & iuriſdictionem tenens. Demum Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ordinantes clericos, & eos qui ad ſacros ordines promouentur, & ideò pro Sacramento Ordinis ponitur, vt de eo in cap. VII. fol. 43.

Bb. Figuræ ad lecturinum Lectores, & Cantores in eccleſia demonſtrant.

Cc. Tres illæ figuræ deſignant Sacramentum Matrimonii, quando Dominus Deus Mulierem creauit in adiutorium uiri, ut in Cap. VIII. fol. 47.


Dd. Sacerdos ad Altare idẽ deſignat cum aliis figuris.

Ee. Figura in lectulo cum circumſtantibus, & figura Sacerdotis ungẽtis infirmum, extremam unctionem demonſtrat, de qua agitur in cap. IX. fol. 56.

Ff. Ignis apud Vineam, & figuræ in ipſo, Purgatorium demonſtrant, de quo in Cap. X. fol. 56.

Gg. Eſt & Infernus, de quo in Cap. XI. fol. 58.

Quædam figurę, quæ operari uidentur in Vinea, ſunt, qui Charitate Dei, & proximi roborati operantur, ſeruantes mandata Dei, & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & animæ eorum ab angelis poſt mortem in ſanctam Hieruſalem feruntur. Quæ uero extra Vineam ſalire, uel ipſam frangere uidentur, ſunt, qui in Vineã per baptiſmum ingreſſi, deinde contra charitatem Dei, & proximi operãtes, ut hæretici, & peccatores in peccato morientes à dæmonibus in Infernũ feruntur, de quo Inferno dicitur in Cap. XI. fol. 58.



INDEX CAPITVLORVM VINEÆ.



INDEX INTERROGATIONVM DIALOGI DE SACRAMENTIS IN COMMVNI,


quæ Interrogationes incipiunt in isto. fol. 61.



DE VINEA DOMINI.



VInea Domini ſpirituali ſenſu Eccleſia eſt, iuxta Prophetæ ſenſum dicentis. Vinea Domini Sabaoth Domus Iſrael eſt: Eſa. v. Et Diuus Gregorius ait. Quis verò patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quàm conditor noſter, qui regit, quos condidit, & electos ſuos ſic in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubiectos dominus in domo? Qui habet Vineam, vniuerſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel iuſto, vſque ad vltimum electum, qui in fine mundi venturus eſt. Diuus quoq; Bernardus ſuper cantica Serm. 29. dicit, quòd Vinea Domini, ſcilicet Eccleſia fidelium, eſt in fide plantata, in charitate mittens radices, defoſſa ſarculo diſciplinæ, ſtercorata pœnitentium lachrymis, rigata prædicantium verbis, & ſic ſanè exuberans vino, in quo eſt lætitia, ſed non luxuria, vino totius ſuauitatis, nullius libidinis. Hoc certè vinum lætificat cor hominis, Hoc conſtat & angelos bibere cum lætitia, nam gaudent in conuerſione, & pœnitentia peccatorum, ſalutem hominum ſitientes. In hanc vineam ingrediuntur operarij per hoſtium, hoc eſt, per Baptiſmum, quod eſt Ianua omnium Sacramentorum, vt de ipſo dicetur.


K
B
VRBS
E
F
D
C
G
R
H
P
N
L
M
O
Q
S
I
FF


HYERVSALEM.
A
C
Y
Aa
Cc
Bb
Z
Dd
Ee
Gg

DE PARADISO CAELESTI,
& de eius pluribus nominibus, & quæ bona in se habet.



FINIS.

DE VI-

DE PARADISO COELESTI.

CAP. I.



LVRIMA nomina cœlesti beatitudini in ſacris literis tribuũtur cuiuſmodi ſunt. Vrbs beata Hieruſalem. Paradiſus, Regnum cœlorum. Domus Patris. Cœleſtis ciuitas, Noua Hieruſalem, Viſio pacis ornata lapidibus precioſis, id eſt animabus ſanctorum, angelis coronata, quæ à Domino ornatur corona angelorum, in qua nulla diſcordia, ſed ſumma Pax, ſummum gaudium, æterna patria, Præſtans gloria, æterna fœlicitas, ſempiterna beatitudo, Summum bonum, quod oculus non uidit nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, à Domino paratum diligentibus ſe. Dei ſedes, Eccleſia Triumphans. Ciuitas Sancta, in qua ab angelis ferũtur animæ iuſtorum ad beatam atque æternam vi-

tam fruendam, quæ beata uita consistit in habendo Deum, & in Dei uisione & non potest deficere; & quatuor præcipue in se bona habet. Primo est iocunda sine dolore. Vnde in Ps. Exultabunt Sancti in gloria. Secundo est secura sine timore in Ps. Excelsus super omnes gentes dominus, & super cœlos gloria eius. Tertio est libera sine seruitute, ad Ro. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem glorię filiorum Dei, id est in gloriosam libertatem quam habebunt filij Dei & hæredes regni. Quarto est copiosa sine defectione Isa. vlt. Diuitijs affluatis, scilicet hic fide, uirtutibus & operibus bonis, & in futuro affluatis omnimoda gloria eius cognitionis diuinitatis & humanitatis Christi.

FIGVRA HVIVS MVNDI ET LIMBI.



DE LIMBO.

CAP. II.



IMBVS. Sinus Abrahę locus inferorum eſt, in quo animæ Sanctorum ante Chriſti aduentum excipiebantur, ibiq́ue ſine vllo doloris ſenſu ſuſtentati beata ſpe redemptionis fruebantur quieta habitatione, horum autem piorum animas qui in ſinu Abrahæ ſaluatorem expectabant Chriſtus Dominus deſcendens ad inferos liberauit ex miſera illius loci moleſtia & carcere, eisq́; paſsionis ſuæ fructũ impertijt, qui omnes captiui deſcenderant, & quamuis permulti ſine ullo doloris ſenſu ſuſtentarentur, tamen Dei aſpectu priuati, & ſpe beate gloriæ quã expectabant ſuſpenſi torquebantur, Deſcenſus uero Domini noſtri Ieſu Chriſti ad inferos eorum animas immenſa lætitia gaudioq́ue impleuit, quibus etiam deſideratiſsimam beatitudinem,

quæ in Dei uiſione conſiſtit impertiuit, nam ante ipſius aduentum Cœli portæ nemini unquam patuerunt, ſed piorum animæ cum e uiuis exceſſiſſent, uel in ſinum Abrahæ deferebantur, uel quod etiam nunc ijs contingit quibus aliquid diluendum & perſoluendum eſt, Purgatorij igne expiabantur. Eſt & Limbus in quo animæ paruulorum detinentur, qui ſine Baptiſmo ex hac uita deceſſerunt, Patientes tantummodo damnum pœnæ ſed non ſenſus.



6) FIGVRÆ ANTIQVÆ BAPTISMATIS.



DE

DE BAPTISMATE.
CAP. III.

BAPTISMVS est ablutio exterius facta quæ cum sacramento coniungitur, nec sine præscripta uerborum forma ministratur, Detrahe enim uerbum, ut ait diuus August. & quid est aqua nisi aqua? Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum, sacramentum dico regenerationis per aquam in verbo, & dicitur sacramentum fidei, quod illud suscipientes uniuersam Christianæ Religionis fidem profiteantur. Vocatur etiam Ianua, quòd per Baptismum ingressus fit in uineam, videlicet ecclesiam non solum hanc militãtẽ uerum etiam triunfantem, in vrbem beatam Hierusalem, Ianua etiam ad omnia sacramenta, eo quod de necessitate omnia sacramenta debet præcedere, alias nulla essent sacramenta suscepta, & Chri-

ſtus ſeruator noſter hoc ſacramentum inſtituit, & ex eius ſanguine, ac paſſione vim habet, & eſt de neceſſitate ſalutis.

Archa diluuij in diebus Noe in qua pauci ſalui facti ſunt, & nos nunc ſimilis formæ facit Baptiſma, Diluuium enim quo mundus purgatus eſt, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum huius aquæ figuram, & ſimilitudinem geſsiſſe Apoſtolorum princeps in priori epiſtola oſtendit cap. 3.

Circunciſio figura fuit baptiſmi, longe uero maior, & uberior gratia infunditur in Baptiſmo quam in circunciſione. Illa enim uirtutem ſuam habebat ex morte Chriſti præuiſa. Sed Baptiſmus ex morte Chriſti exhibita. Baptiſmus etiam Circunciſione præſtãtior eſt quia Ianuam Cęli aperit, quod non poterat Circunciſio.

Tran-

Tranſitus Maris rubri aquæ Baptiſmi ſignificationem habuit. Omnes mare tranſierunt, & omnes in Moiſe baptizati ſunt in nube, & in Mari 1. Cor. 10.



10) FIGVRA TRIPLICIS BAPTISMATIS.



De triplici baptiſmate.

BAPTISMVS flaminis ſiue ſpiritus eſt, cum quis credit, & uellet baptizari præuentus autem tempore moritur antequam baptiſmum conſequatur, ille baptizatur, hoc modo in ſpiritu, & ſecundum diuum Auguſtinum baptiſmus inuiſibiliter adminiſtratur, quem non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.

Sanguinis baptiſmus eſt, cum quis non potens habere baptiſmum aquæ proprium ſanguinem fundit pro Chriſti fide per martirium, hic nimirum in ſanguine ſuo baptizatur, quemadmodum de multis ſanctis Martiribus factum fuiſſe legitur.

Baptiſmus fluminis ſiue aquæ ſacramentum eſt, nam reliqui duo & ſi eximij multoque meritorij ſint atque preclari, ſacramenta tamen non ſunt, ſed uicem ſacramenti baptiſmi obtinent, &

ſiue

ſiue Vir, ſiue Mulier miniſter huius ſacramenti in caſu neceſsitatis eſt, Quilibet enim in caſu neceſsitatis poteſt baptizare, dummodo intendat facere quidquid præcipit, & intendit Eccleſia. Hæc autem eſt differentia inter dictos baptiſmos, quod iſti duo baptiſmi flaminis ſcilicet & ſanguinis non imprimunt caracterẽ in anima ad eius ornatum, & decorem. Baptiſmus autem fluminis uel aquæ illum imprimit animę ſuſcipientis tanquam ſignaculum quoddam, quo diſcernuntur fideles ab infidelibus, & cognoſcũtur ij qui ad gregẽ, & Ouile Dei pertinent, & ſemel ſuſceptum non poteſt iterrari. Quamuis autem quilibet ſiue Vir ſiue Mulier in caſu neceſſitatis poſſit baptizare, ut ſupra dictum eſt, ordinem tamen aliquem ſeruare decet, Mulier enim ſi Mares adſint, laicus item præſente clerico, tum clericus coram ſacerdote baptiſmi adminiſtrationem ſibi ſummere non debent.

Mini-

Miniſter huius ſacramenti extra caſum neceſſitatis eſt proprius ſacerdos, ſiue alius de ſua uel ordinarij licentia, & non omnibus licet ſolennes cærimonias adhibere.

Materia huius ſacramenti, eſt aqua elementaris naturalis non in glaciē congelata ſiue ſit Maris, ſiue fluminis, ſiue paludis, ſiue putei, aut fontis, quæ ſine ulla adiunctione aqua dici ſolet, excluduntur enim aquæ roſarum, aliæ aquæ diſtilatæ, & omnes alij liquores.

Forma, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Proprius effectus baptiſmi eſt peccatorum omnium remiſſio, ſiue originis uitio, ſiue noſtra culpa cōtracta ſint, cuius rei cauſa à Domino, & Saluatore noſtro inſtitutus eſt, quamuis in baptizatis concupiſcentia, uel fomes remaneat, illa tamen uere peccati rationem non habet ſed manet tantum infirmitas, reatus autem concupiſcentiæ in baptiſmate

ptiſmate ſoluitur. Hoc uero non tantum dicitur de adultis, quam de paruulis. Credendum eſt enim noluiſſe Chriſtum dominum baptiſmi ſacramẽtum, & gratiam pueris denegari, de quibus dicebat, ſinite paruulos uenire ad me, talium eſt enim regnũ cęlorũ Matt. 19. Marci. 10. neque obſtat quod fidem propriam non habeant, ſufficit illis fides ſanctę matris eccleſiæ parentum, & ſuſceptorum.

Vnus tantum Vir, ſiue Mulier, uel ad ſummũ unus, & una ſuſcipiant baptizatum de baptiſmo, inter quos, & ipſum baptizatũ, & patrem, & matrẽ illius nec non inter baptizantem, & baptizatum, & patrem, & matrem baptizati ſpiritualis cognatio contrahitur.

FIGVRA S. SPIRITVS
VEL CONFIRMATIONIS.



DE CONFIRMATIONE.
CAP. IIII.



ONFIRMATIONIS ſacramentum à Chriſto redemptore noſtro inſtitutum idcirco uocatur, quoniam qui baptizatus eſt, cum ab epiſcopo ſacro criſmate ungitur, additis illis ſolennibus uerbis, ſigno te ſigno crucis, &c. niſi aliud ſacramenti efficientiam impediat noue uirtutis robore firmior ſeptiformem gratiã Spiritus ſancti percipiens perfectus miles eſſe incipit, quod confirmationis ſacramentum teſte Melchiade Pontifice baptiſmo maxime coniunctũ eſt, nõ idẽ tamen ſacramentũ, ſed ab illo longe diſiunctum. In baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in cõfirmatione coarmatur ad pugnam, in fonte baptiſmatis Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, confitmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat. In

baptiſ-

baptiſmo regeneramur ad uitam, poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur; in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramurr, egeneratio per ſe ſaluat in pace baptiſmum recipientes. Confirma tio armat atque inſtruit ad agones. In baptiſmo homo recipit caracterem, qui eſt poteſtas ſuſcipiendi alia ſacramenta ad propriam ſalutem. In confirmatione alium recipit characterem qui eſt poteſtas ad propugnandam fidem exemplo Apoſtolorum qui antequam plenitudinē Spiritus ſancti reciperent erant in cęnaculo perſeuerantes in oratione, quaſi priuatam uitam agentes, poſtmodum uero nihil uerebātur corā chriſtianæ fidei hoſtibus eadem publice confiteri, & promulgare. Omnes uero fideles poſt baptiſmum accipere debent ſanctā confirmationem, neque per negligentiam, aut contemptum ommittere eam; & hoc ſacramentum non eſt iterabile.

Materia huius ſacramenti, eſt ſan-

ctum crisma, quod ex oleo, & balsamo solemni episcopi consecratione conficitur, quo frons confirmandi in modũ crucis perungitur, quod quidem chrisma loco impositionis manuum institutũ est, posteaquá enim Spiritus sanctus ad manuum impositionem uisibili signo prout ab initio euenerat amplius influere desijt hæc untio chrismatis in hoc sacramento adhiberi cępit.

Forma signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Minister huius Sacramenti ex officio est solus episcopus iuxta verbum Eusebij Papæ qui ait Manus impositionis Sacramentum magna ueneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, Quod si aliter præsumptum fuerit irritum habeatur, & vacuum. Tametsi ex summi Pontifices dispensatione simplici presbitero possit cõmitti ut ex Gregorio ad

Ianua-

Ianuarium epiſcopum colligitur.

Effectus huius Sacramenti eſt, niſi impedimentũ aliquod inferatur, quod nouam gratiam tribuit datur Spiritus ſanctus ſicut Apoſtolis alijsq́; diſcipulis datus fuit roburq́ue, ut chriſtianus audacter confiteatur nomen Chriſti, & illud proprie confirmationis tribuitur quod baptiſmi gratiam perficit. In cuius celebratione ueluti in collatione baptiſmi aliquis etiã ſuſceptor, & patrinus requititur ſimilisq́; ſpiritualis cognatio contrahitur ſicut in baptiſmate.



20) FIGVRÆ SACRAMETI POENITENTIAE.



DE

DE POENITENTIA.
CAP. V.

SACRAMENTVM pęnitentiæ est quo lapsis post baptismum beneficiũ mortis Christi applicatur, & remissio peccatorum per sacerdotis absolutionem annunciatur. Pœnitentia quidem uniuersis hominibus qui se mortali aliquo peccato post baptismum inquinascent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequẽdam est neceessaria. Regenerati enim baptismo si iustitia in ipso baptismo Dei beneficio, & gratiam susceptã constanter tuerentur non fuisset opus aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum, Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit cũ à mortuis excitatus insuflauit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittun-

tur eis,& quorum retinueritis retenten ta ſunt.

Secunda tabula poſt naufragium appellatur, ad quam uidelicet homo poſt naufragium peccatorum, ut ſaluetur ſe conuertit, uerum nec ante aduentum Chriſti pęnitentia erat ſacramentũ, nec eſt poſt aduẽtũ illius cuiquã ante baptiſmum, quamuis qui baptiſmi ſacramento ablui petunt, & uolunt, peruerſitate abiecta, & emendata Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtari debeant.

Pœnitentia etiam, ut aiunt doctores & præcipue D. Gregorius eſt anteacta peccata deflere, & deflenda iterum non committere.

Sunt autem quaſi materia huius ſacramenti actus ipſius pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Qui actus dicuntur etiam partes pœnitiæ quæ ad integritatem ſacramenti ad plenamque, & perfectam peccatorũ remiſſio-

missionē ex Dei institutione requirūtur.

Quidam uero duplicem assignant pœnitentiæ materiam propinquā uidelicet, & remotam. Propinqua est actus ipsius pœnitentis, qui consistit in contritione, confessione, & satisfactione ut supra. Remota materia sunt ipsa peccata, quæ pœnitens confitetur sacerdoti.

De contritione.

Contritio est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum præposito non peccandi de cætero, qui contritionis actus est quouis tempore ad impetrandam ueniam peccatorum necessarius, & præparat ad remissionem peccatorū si coniunctus sit cum fiducia diuinæ misericordiæ & uoto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Quemadmodum enim torcular calcat vuam & exprimit mustum, ita uera contritio cruciat hominem de peccato commisso, & peccator exprimit omnia peccata sua in

confessione sacerdoti, & sicut musti abundantia à torculari optatur, ita lacrime multe per contritionē doloris peccati summopere optande sunt ad exemplū Niniuitarum, Dauidis, Peccatricis, & Apostolorū Principis, qui omnes misericordiam Dei implorantes plurimis lacrimis peccatorum ueniā impetrarunt.

De confessione.

Confessio est accusatio omnium, & singulorum peccatorum maxime mortalium, quarum pœnitentes meminerint, & post diligentem sui discussionem conscientiā habent, corā sacerdote qui Dei legatione, & ecclesiæ ministerio rite fungitur, ut ueniam uirtute clauiuum impetrent, & Domino Iesu Christo instituta, omnibusque post baptismum lapsis Iure diuino necessaria. Circunstantiæ, etiam in confessione explicandæ sunt, quæ speciem peccati mutāt, quod sine illis peccata ipsa nec à pœnitentibus integre exponuntur neq; iudicibus sacer-

ſacerdotibus innoteſcũt, ut de grauitate criminũ recte iudicare poſſint, pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere, quarum octo ſunt, quę illo trito, & vulgari verſiculo comprehenſe ſunt, videlicet Quis, Quid, ubi, Per quos, Quoties, Cur, Quomodo, quando, Imprimis autem curandum eſt, ut peccator omnium mortalium peccatorum ſuorum etiam cogitationis, & verborum ueniam à Deo quærat cum aperta integra humili atque verecunda confeſſione alijs quæ conditionibus quę requiri debent.

Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos qui ordinariam aut delegatã abſoluendi poteſtatem habet; Oportet enim non ſolum ordinis, uerum etiam iuriſdictionis poteſtatem habere qui hoc munere fungi debet. Si autem mortis periculum imminet, & proprij ſacerdotis facultas non datur, quilibet ſacerdos non ſolum confeſſionẽ audire, & omni pec-

catorum

catorum genere cuiuſcunque poteſtatis ſit, illa condonare, ſed etiam ab omni excommunicationis uinculo ſoluere poteſt, nulla enim caſuum reſeruatio eſt in articulo mortis, in alijs uero, nullius momenti eſt abſolutio, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem, & præter ordinis, & iuriſdictionis poteſtatem, opus eſt, ut huius ſacramenti Miniſter, ſcientia eruditione, ac prudentia prædictus ſit, Iudicis enim ac Medici ſimul perſonā gerit; & peccata inueſtigare ex uarijs peccatorum generibus, quæ grauia, quæ leuia ſint non ſolum ſciat, uerum etiam ut Medicus ſumma prudentia diligenter prouidere ſciat, ut ea remedia adhibeantur egroto, quæ ad ſanandam illius animam, & poſterum contra morbi uim munuendā aptiora eſſe uideātur.

De ſatisfactione.

Satisfactio eſt ſolutio pœnæ debitæ,

quam

quam diuina iustitia exigit ob offensam in legẽ suam commissam, & satisfacien do pati pro peccatis cooperante Domino Iesu Christo qui pro peccatis nostris satisfecit, quæ satisfactio fieri debet ad arbitrium & ex præcepto confessoris potissimum per ieiunium, orationẽ, eleemosinã, ac per alia bona opera. Verum Confessores quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere debent, ne forte pro peccatis indulgentius cum pœnitentibus agentes leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. Conuenientes enim pro peccatis ac satisfactoriæ pœnæ quasi quodam freno cœrcent pœnitentes eosque cautiores, & uigilantiores in posterum efficiunt. Nemo uero qui de re, aut de existimatione proximi detraxerit absoluendus

est,

est, nisi prius restitutione facta, uel quæ cuiusque fuerint restituere policeatur. Prȩterea non solum pȩnis sponte à nobis pro uindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis satisfacere possumus, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis apud Eeum patrem per Christum Iesum satisfacere ualemus.

De forma absolutionis.

Sacramentum pȩnitentiæ forma hȩc est absolutionis, licet consistat in his uerbis, Ego te absoluo, utitur tamen ecclesia aliquibus ad decẽtiã non omittendis. In primis extensa manu dextera super pȩnitentem, sacerdos dicat, Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis. &c. Indulgẽtiam, absolutionẽ. &c. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate eiusdẽ Absoluo te imprimis à uinculo excõmunicationis, suspensionis, & interdi-

terdicti in quantum possum & indiges, Deinde absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine patris, & filij & spiritus sancti amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper uirginis, & omnium sanctorum quid quid boni feceris, & mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum tuorũ in augmentum gratiæ & premium uitæ ęternæ amen.

Effectus pęnitentię ut indecreto Cõcilij Florentini legimus sub Eugenio Quarto est absolutio à peccatis, uel peccatoris uere pęnitentis, & confitentis cum Deo recõciliatio, qua peccator per absolutionem sacerdotis peccatorum suorum consequitur remissionem, & omnis pęnitentię uis in eo est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia cogniungat.

30) FIGVRA SACRATIS. EVCARISTIAE.



DE

DE EVCHARISTIA.

CAP. VI.


OC admirabile & dignum ſacramentum pluribus nominibus ſacri ſcriptores exprimemere conati ſunt, Interdum enim Euchariſtiam appellãt, quod uerbum bonam gratiam uel gratiarum actionẽ latine ſignificat, & recte bona gratia quia Chriſtũ dominum in ſe continet, qui eſt bona, & uera gratia, atque omnium chariſmatum fons. Vocatur prætrea ſynaxis, latinè communio, quia inuicem unimur commembra, qui omnes de uno pane & de uno calice participamus imo unus panis & unum corpus efficimur, & hoc ſacramentum Chriſto Domino nos copulat atque eius carnis & deitatis participes efficit, nosq́ue inter nos in eodem Chriſto conciliat ac coniungit. Dicitur etiã ſacrificiũ quia Chriſtum continet, ut pro nobis oblatum

in

in cruce ideoque mentio fit, & conſecratio ſanguinis pro nobis effuſi. Datũ eſt enim eccleſiæ, ut offerat Deo in ſacrificium debitæ ſeruitutis, ſi enim ueteris legis ſacrificia, itá placuerunt Domino ut ſcriptura teſtatur quid nobis ſperandum de eo ſacrificio in quo ille ipſe immolatur atque offertur de quo bis audita eſt uox cęleſtis, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui? Hoc autẽ ſacrificium in extrema cęna à Christo Domino inſtitutum fuit, & duabus de cauſis Euchariſtia à Domino inſtituta fuit. Altera ut cœleſte animæ noſtrę alimentum eſſet, quo uitam ſpiritualem tueri, & conſeruari poſſemus; altera, ut eccleſia perpetuum ſacrificium haberet, quo peccata noſtra expiarentur; & pater cœleſtis ſceleribus noſtris ſæpe grauiter offenſus ab ira ad miſericordiam & ad clementiam traducerentur, & unum & idem ſacrificium eſſe fateri debemus quod in miſſa peragitur, &

quod

quod in cruce oblatũ eſt, quoties enim huius hoſtiæ commemoratio celebratur, toties opus noſtræ ſalutis exercetur, nimirum uberrimi illi fructus, cruentæ hoſtiæ per hoc incruentum ſacrificium ad nos manant. Viaticum etiam frequenter à ſacris ſcriptoribus appellatur, quia ſpiritualis cibus eſt, quo in huius uitæ uia ſuſtentamur, eſt præcipuè cũ ex ea diſceſſuri ſumus ad Deum, ſemper. n. in eccleſia hoc obſeruatum fuit, vt non ſine hoc ſacramento, ex hac uita diſcederent fideles, & quemadmodum in lege noua pluribus nominibus exprimitur hoc ſacramentum, quæ omnia oſtendunt immenſam quandam huius ſacramenti excellentiam in lege ueteri pluribus etiam figuris ſignificatum eſt, promiſſum fuit. Verum inter omnes figuras immolatio illa phaſe, hoc eſt tranſitus celebratio paſchatis potiſſima eſt, & omnia ſimul myſteria huius ſacramenti præfigurata ſunt ibi pa-

nes azimus, ibi agnus immaculatus, ibi redemptio à ſeruitute. Aliæ enim figuræ uel materiam reſpiciunt, ut panis & uinum Melchiſedech, uel ipſum Chriſtum contentum & immolatum pro nobis, ut immolatio Iſaac, ſacrificia omnia agnorum & uitulorum, &c. uel certe effectum aliquem huius ſacramenti in nobis ut ſubcinericius panis Eliæ, & manna. Differunt autem plurimum hę duæ rationes inter ſe, ſacramentum: & ſacrificium, nam ſacra Euchariſtia, dum in pyxide, ſiue uaſculo continetur, ſiue fidelibus porrigitur, uel ad ægrotum differtur: ſacramenti, non ſacrificij: rationem habet: ut autem ſacramētum eſt ijs, qui diuinam hoſtiam ſumunt meriti cauſarum affert, & omnes illas vtilitates, quæ ſupra commemoratæ ſunt, uerum ut ſacrificium eſt non merendi ſolum, ſed ſatisfaciendi quoque efficientiam continet: nam ut Chriſtus dominus in paſſione ſua pro nobis meruit, ac

ſatisfe-

ſatisfecit, ſic qui offerunt hoc ſacrificiũ quo nobiſcum communicant, Dominicæ paſſionis fructus merentur, ac ſatiſfaciunt.

Materies huius ſacramenti eſt panis triticus ſine fermento, & uinum uitis, cui modicum aquæ permixtum ſit, & tam modica ſit ut in uinum conuertatur; quæ aqua uino admixta coniunctionem fidelis populi cum Chriſto capite ſignific.

Conſecrationis forma eſt quæ à Chriſto Domino ſeruata fuit ad cõſecrandũ panem: Hoc eſt enim corpus meum; ad vinum uero: Hic eſt calix ſanguinis mei noui, & æterni teſtamenti myſterium fidei &c. & uerba illa efficiunt quidquid ſignificant.

Miniſter eſt ſacerdos cum intentione conſecrandi: ſolis enim ſacerdotibus data eſt poteſtas, ut ſacram Euchariſtiã conficiant, ac fidelibus diſtribuant.

Effectus huius ſacramenti multiplex

eſt: primus conuerſio panis per uerba conſecrationis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem; ſic quod uerum Chriſti domini corpus in hoc ſacramento, & ſub qualibet eorum parte continetur illud idem, quod natum ex virgine in cœlis ſedet ad dexteram patris. Alter eſt quod nulla in eo elementorum ſubſtantia, ſcilicet panis & uini remanet. Tertius accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut alijs ſenſibus percipiuntur, ulla re ſubiecta ſunt, mira quadam atque in explicabili ratione, & panis, & uini ſubſtantia omnino eſſe deſinit, & accidentia, per ſe ipſa conſtant. Quartus quando à nobis ſumitur ipſe Chriſtus dominus, ſumitur memoria paſſionis eius, recolitur mens, impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus datur, & à nobis ſumitur, ut à culpis quotidianis liberemur, & à peccatis præſeruemur, & breuiter ut Chriſto incorporemur, & in ipſum transformemur, vt ipſe maneat

ſe maneat

ſe maneat in nobis, & nos in illo. verum quicunque ad corporis Domini ſacramentum ſumendum accedit, caueat ne indigne, & impure accedat, qui enim manducat, & bibit indigne (ut teſtatur Apoſtolus) iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini; ſciendum eſt etiam quod extra Miſſam, non ſolum laici fideles, ſed & ſacerdotes altera tantum ſpecie, uidelicet panis ſumere debent, ſub qua tamen non minus ſumunt, quam ſacerdos conſecrans ſub duabus.



38) FIGVRA SACRI ORDINIS.



DE

DE ORDINE.

CAP. VII.


RDO est ſacramentum, à quo poteſtas ſpiritualis ſigni ficatur, & traditur per manuum impoſitionem Epiſcopi, & alias cærimonias, & ſpecialis gratia, ac poteſtas ritè ordinato confertur ad executionem publici muneris in eccleſia gerendi, quod ſacramentũ eccleſiaſticæ reipublicæ, ad procreandos ſpirituales filios eſt neceſſarium, & à Chriſto domino in ultima cęna, quantum ad poteſtatem, conſecrandi inſtitutum, & poſt Reſurrectionem facultatem remittendi peccata, quæ antea fuerat Petro permiſſa cumulatum, & plures diuerſisque miniſtrorum ordines ſunt, qui ſacerdotio ex officio deſeruiunt, quorum nomina hęc ſunt: Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos, ex his alij minores ſunt, alij maio-

res, qui & ſacri dicuntur. Minores ſunt Oſtiarij, Lectores, Exorciſtæ, & Acoliti. maioris uero, uel ſacri, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, prima autem tõſura non eſt ordo, ſed principium, & quædam præparatio ad ordines accipiẽdos. Ad Oſtiarium pertinet dignos ad templum recipere; indignos repellere, oſtia & ualuas templi obſeruare, claues eccleſiæ habere, quæ intus ſunt cuſtodire, & cymbalo populum conuocare.

Ad Lectorem pſalmos, & recitare lectiones, & cantare, rudesq́; prima fidei rudimenta docere.

Ad exorciſtam quod interpretatur adiurans, uel increpans, pertinet ſuper inquietos, qui à ſpiritibus immundis vexantur, nomen Domini inuocare, & adiuratum ſpiritum eijcere, uel cõpeſcere.

Acolytus, quod ſubſequens aſſectator comes, ad hunc potiſſimum ſpectat miniſtros maiores Subdiaconos, & Diaconos in altaris miniſterio aſſectari,

eiſ-

eiſq́ue operam dare ſacerdoti celebraturo altare præparatur, eiq́ue in Miſſæ officio ſacro in ſeruire. Subdiacono uinum & aquam porrigere, lumina deferre, præcipue uero cum euangelium legitur ex quo Acolyti, & ceroſorarij alio nomine uocati ſunt.

Subdiaconus, uel hipodiaconus grecè quaſi diaconi miniſter, huius officiũ eſt diacono ad altare in ſeruire calicẽ, & panem ad altare portare uinũ celebranti, miniſtrare corporalia, ſacraq́; lintea, & vaſa ad ſacrificij vſum neceſſaria lauare epiſcopo, & ſacerdoti aquam præbere, cum manus in Miſſæ ſacrificio abluunt, epiſtolam legere, uel cantare, & tanquam teſtem ad ſacrum aſſiſtere, prohibereq́ue ne ſacerdos ſacramentum faciens à quopiam perturbari poſſit.

Diaconus hoc eſt miniſter eius munus eſt epiſcopo, & ſacerdoti miniſtrare; Euangelium legere, uel cantare, materiam conſecrandam ſacerdoti porrigere,

gere, & ſi abſit Epiſcopus, uel ſacerdos euangelium explanare, uel de eius licentia prædicare.

Presbyter, hoc eſt ſenior, non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ huic ordini maxime neceſſaria eſt, ſed propter morum grauitatem, doctrinam, & prudẽtiam: cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis uita immaculata; uocatur etiam ſacerdos, ob dignitatem; quia Deo conſecratus eſt ob ſacramentorũ adminiſtrationem ſacerdos, vtpote ſacra dans appellatur, ſacerdotis etenim munus eſt Deo ſacrificium facere, eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtrare, prædicare, ſoluere, ligare quemadmodum ex conſecrationis ritibus perſpicitur, quibus cærimoniis, & verbis interpres, ac mediator Dei, & hoĩum conſtituitur. At uero ſacerdotiũ uarias dignitatis & poteſtatis gradus habet: primus ẽt eorum, qui ſacerdotes ſimpliciter uocantur. quorum munus ſuperius declaratum

ratum eſt. Secundus eſt Epiſcoporũ, qui & paſtores antiſtites, & Pontifices appellantur. Tertius eſt Archiepiſcoporũ, qui pluribus Epiſcopis præſunt, & Metropolitani etiam uocantur. Quartus gradus eſt Patriarcharum, & ſenatus Cardinalium, qui ſunt primi ſupremiq́; patres. Præter autem hos omnes catholica Eccleſia Romanum Epiſcopum Pont. Max. habet qui ſummum dignitatis gradum, & iuriſdictionis, amplitudinem, uti Petri ſucceſſor Chriſtiq́ue domini uerus, & legitimus Vicarius habet. Hi uero omnes Antiſtites, & Epiſcopi ſuper attendentes, uel ſpeculatores ſuper turrim poſiti ſunt, ex qua templum, & eminentiam ſcripturarum, & leges interpretes ſpeculari poſſent.

Impoſitio manuum, & uariorum inſtrumẽtorum traditio eſt materia huius ſacramenti: quem Epiſcopus ordinãdis porrigit admonens eos, quomodo in ſubiecto ordine rite, & diligenter miniſtrare

ſtrare debeant.

Forma eſt, quæ ab Epiſcopo certis uerbis in ordinum collatione profertur, ut in pontificali habetur. Qua forma poteſtatem accipit ordinatum officium ſibi iniunctum faciendi, ac exequendi.

Huius ſacramenti miniſter eſt Epiſcopus ordinarius diœceſis uel alius Epiſcopus cum commendatione, & teſtimonio litterarum ipſius ordinarij, uel de eius licentia.

Effectus eſt diuinæ gratiæ collatio, ut ordinatus ſit idoneus, miniſter Chriſti ad exequendum, & exercendum officium ſuum in eccleſia Dei, & in ipſo imprimitur caracter.



FIGVRA ANTIQVA MATRIMONII.



DE MATRIMONIO.
CAP. VIII.

ATRIMONIVM est legitimus consensus, vel legitima coniunctio viri & mulieris ad indiuiduam vitæ consuetudinem inter se mutuo retinendam, & ab eo dicitur: matrimoniũ quod fœmina idcirco nubere debeat, vt mater fiat, vel quia matris munus est prolem concipere parere, & educare, & quemadmodum ordinis sacramentorum, ecclesiasticę reip. ad procreandos Dei filios secundum spiritum est idoneum, ita & matrimonium propagando generi nostro est necessarium. Ordo vero excellentior est matrimonium, cum sit ad spirituale̅ propagationem, quæ per euangelium, & sacrame̅ta fit institutus, & ita potestatem spiritualem, & planè diuinam confert hominibus. Matrimonium vero solum ad propagandam carnalem plebem simulq;

mulq́; ad carnis infirmitatem excipiendam & temperandam eſt inſtitutus, & ad euitandam fornicationem: dicitur etiam coniugiũ à coniungendo, quod mulier cum viro quaſi vno iugo aſtringatur, & à Domino Deo inſtitutum, quando mulier creauit in adiutorium viri, vt creſceret & dilataret genus humanum Geneſ. 1. & 2. & à Chriſto Ieſu Domino noſtro approbato, & perpetuo ac indiſſolubili nodo ei addito quãdo dixit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Ante peccatum quidem in officium inſtitutum, poſt vero in remedium: demum ab ipſo Chriſto in ſacramento inſtitutum, in illoq́; perpetuo & indiſſolubili nexu, vel vinculo naturę eſt.ratio huius ſacramenti conſiſtit, & nulla re niſi morte dirumpi poteſt: duorumq́ue tantum, non plurium coniunctio diffinitur: nam vnam tantum vxorem, non plures vxores ducere licet.

Materia

Materia huius ſacramenti ſunt perſo-
næ legitimæ, quæ contrahere poſſunt;
& ne in eis ſit aliquod legitimum impe-
dimentum, vel eſt mutuus contrahen-
tium conſenſus.

Forma ſunt verba quæ præbunte Sa-
cerdote profert uterque coniux coram
ipſo, & teſtibus; quibus verbis, vel ſi-
gnis mutuus eorum conſenſus, & mu-
tua coniugalis fidei promiſſio expri-
mitur.

Miniſter eſt proprius Sacerdos Cura-
tus, vel alius de eius, vel ordinarij licen-
tia in facie Eccleſiæ.

Effectus eſt indiſſolubilitas coniuga-
lis vinculis inſtar coniugationis Chriſti
& Eccleſiæ: & inuiſibilis gratia, & pe-
culiare donum ſpiritus infunditur, quo
qui copulati ſunt, & firmiores reddun-
tur ad perpetuam concordiam, & caſti-
tatem coniugalem retinendam, & robu
ſtiores ad huius vitę quæuis incommo-
da pariter toleranda, & inſtructiores ad
ſobolem,

ſobolem,cuius gratia matrimonium po tiſſimum contrahatur, in pijs moribus educanda; & iterari poteſt altero defuncto, uerum qui non iterauerit is laudem meretur maiorem. Impedimenta quę matrimonium cõtrahendum impediunt, & contractum dirimunt his uerbis comprehenduntur.

Error, cõditio, uotũ, cognatio, crimẽ, cultus, diſparitas, uis, ordo, ligamen, honeſtas, ſi ſis affinis, aut ſi choire nequibus, Hæc ſocienda uetant connubia iuncta, retractant. Quæ uero matrimonium contrahendum uetant, & contractum non dirimunt. Eccleſię uetitum necnon tempus feriarum impediunt fieri, permittunt facta teneri.

50) FIGVRA EXTREMÆ VNCTIONIS.



DE EXTREMA VNCTIONE.
CAP. IX.

EXTREMA unctio appellatur, quod hæc omniũ ſacrarum unctionum quas Dominus ſaluator noſter, eccleſiæ ſuæ commendauit ultima adminiſtranda ſit, & à maioribus noſtris ſacramẽtum etiam unctionis infirmorum eſt, ſacramentum exeuntium dicta eſt, & ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta quod apud diuum Marcum inſinuatum, per ſanctum autem Iacobum Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum eſt. Infirmatur, inquit ſi quis in uobis; inducat presbyteros eccleſiæ; & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, alleuiabit eum dominus, etſi in peccatis ſit dimittẽtur ei quemadmodum enim clementiſſimus redemptor noſter auxi-

lia maxima in ſacramentis alijs pręparauit quibus Chriſtiani cõſeruare, ſe dum uiuerent ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint, ita extrema unctionis ſacramento finē uitæ tanquã firmiſſimè quoddam præſidio muniuit contra aduerſarium noſtrum Diabolum, qui eſt ſi occaſionęs per oẽm uitam quærat & captet, ut deuorare animas noſtras quoquo modo poſſit, uehementius tamen omnes ſuæ uerſutiæ neruos intendit ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam ſi poteſt diuinæ miſericordiæ deturbandos in exitu uitæ noſtræ.

Huius extremæ unctionis elementum ſiue materia eſt oleum oliuarum ab Epiſcopo conſecratum.

Forma & uerbum eſt oratio deprecatiua qua oratur Deus in unctione ſingulorum membrorum, oculorum, aurium, narium, oris, manuum, peduum, & renuum, uidelicet per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſeri-

cordiam

cordiam parcat tibi dominus quiquid oculorum uitio deliquiſti, & ſimiliter in alijs membris, ut dictum eſt, aurium, narium, &c. & non omnibus membris.

Miniſter eſt proprius ſacerdos, qui iuriſdictionem habeat, ſiue alter ſacerdos cui ille poteſtatem dederit eo munere fungendi, qui ſacerdos in ea adminiſtratione, ſicut etiam in alijs ſacramentis fit Chriſti Domini noſtri, & ſanctæ Eccleſiæ eius ſponſæ perſonam gerit.

Effectus huius ſacramenti illis uerbis explicat, oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, res etenim hęc gratiam eſt Spiritus ſancti, cuius unctio uenialia peccata, peccatique reliquias abſtergit, ſi quæ ſint adhuc expianda, & ęgroti animam alleuiat & cōfirmat, excitando in eo magnæ diuinæ miſericordiæ fiduciam, quam infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, & labores leuius fert, & tētationibus demo-

nis inſidiantis facilius reſiſtit & ſanitatẽ corporis interdum vbi ſaluti animæ expedierit conſequitur nemini uero, qui graui morbo affectus non ſit,& de cuius morte non timetur, ſacramentum unctionis dare licet; neque his qui rationis uſu carent neque pueris, qui nulla peccata admittunt,neque amentibus item, & furioſis niſi interdum rationis vſum haberent, & eo tempore animo pio peterent, vt ſacro oleo vngerentur.



FIGVRA ANIMARVM IN PVRGATORIO.



DE PVRGATORIO.

CAP. X.

EST Purgatorius ignis in loco inferorum, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, quæ non satis à peccatorum pœnis expurgatæ in hac uita in pœnitentia & fide decesserunt, ut eis in ęternam patriã ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur, quas angeli consolantur, pro quibus etiam ecclesia sacrificia offert, eleemosinas largitur, aliaq; bona opera in caritate præstat, & orat, ut eo citius Dei misericordiam impetrent, & à pęna illa Purgatorij ignis liberentur.



FIGVRA DAMNATORVM IN INFERNO.



DE INFERNO.

CAP. XI.

INFERNVS ideo dicitur quia inferius eſt poſitus ſcilicet in medio terræ, Vnde & nouiſſima terra dicitur. Eſt autem locus igne & ſulphuræ horridus, inferius dilatatus ſuperius coanguſtatus. Hic lacus uel terra mortis dicitur, quia animæ illuc deſcendentes ueraciter moriuntur. Hic & ſtagnum ignis dicitur: quia ut lapis mari, ita animæ illuc immerguntur. Terra tenebroſa uocatur, & fumo & nebula fœtoris obſcuratur. Hic terra obliuionis nuncupatur, quia ſicut ipſi obliti ſunt Dei, ita eorum obliuiſcitur miſereri Deus. Dicitur Tartarus ab horrore & tremore, quia ibi eſt fletus & ſtridor dentiũ. Baratrũ quaſi atra uorago, uel ideo quod graue puniat. Dicitur etiam Stix quod latinè ſonat triſtitia ſine aliqua lætitia.

Eſt autem infernus teterrimus & obcuriſſimus ille carcer, ubi perpetuo, & inextinguibile igne damnatorum animæ ſimul cum immundis ſpiritibus torquentur qui etiam gehena, Abyſſus, & ignis ęternus uocatur, in quo nulla eſt redemptio, ſed ſummus dolor ſempiternus horror inhabitat, ęternus cruciatus, omnibus pęnis & ſupplicijs cumulatus.

FINIS.

Errata, ſic corrigito.

fo.12. in li. 11. flumins	fluminis
17 linea 4. egenerati	regeneratio
19 linea 12. requitir	requiritur
24 linea 16. & Do Ieſu,	& à Domino Ieſu
28 linea 9. apud	apud Deum
33 linea 9. eſt pra	& præcipue
& linea 18. prom i fuit.	& promiſſum fuit
34 linea 11 panes	panis
35 linea 5. Materi	Materia
linea 6. ſine ern	ſine fermento & in fine materiæ ſignific. ſignificat
39 linea 14. permiſſa	promiſſa
linea 15. diuerſisq.	diuerſique
40 linea 3. maioris	Maiores
41 linea 2. præparatur	præparare
& linea 6. ceroſorarij	ceroforarij,
42 linea 21. primus ẽt,	primus eſt
46 linea 15. matrimoniũ	matrimonio

Multi etiam puncti, uel comæ deſunt, & quidam ſuperſunt.


NOVATA
IVVENTVS





DIALOGVS
DE SACRAMENTIS

In communi à Sacris Doctoribus excerptus.

INTERLOQVVTORES.

Examinator & Clericus.



Exa. QVID est Sacramentum?

Cle. Sacramentum multas habet diffinitiones, quæ tamen omnes ſub alijs verbis, idem omnino docent. Sit ergo prima ipſius ſacramenti hæc diffinitio.

Sacramentum eſt materiale elemẽtum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitu-

tione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam. Vt colligitur ex Hugo. de S. Victore libro de Sacram. parte 9.cap.2. & S. Tho. 4. sent. dist. 1.q.1.art.1.q.5. Riccar.4.senten. distin.1.art.1.q.4. Sum. Confess. lib.3. titu.24. q. 1. Sot. 4. senten. distin. 1. q.1.artic.2.& Sum. Sacramen.de Euchar.§.j.

Secunda diffinitio est. Sacramentum est, inuisibilis gratiæ visibilis forma; ut eius imaginem gerat, & causa existat. vt ex mente August. & magistri senten.4.dist. 1. elicitur. & habetur apud S.Thom. Riccar. Sum.Confess. Sotum.ubi supra.

Et notandum quòd Magister sent. addidit illas particulas uidelicet. Vt eius imaginem gerat, & causa existat. Vt notant Sum. Confessorum vbi supra, & Riccar. vbi supra. q.3.& S.Anto. in 3. part. tit. 14.c. 2.§. & Nauar-

rus cap.22.§.1.

Tertia Sacramenti diffinitio eſt. Sacramentum eſt, per quod ſub tegumentis rerum viſibilium, diuina uirtus ſecretius ſalutẽ operatur. Ex Aug. lib. de corpor. Chriſt. & refertur per per Sum. Comfeſſ. & Sum. Sacram. vbi ſupra.

Quarta, & ultima Sacramenti diffinitio. Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum. Vt Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei. cap. 5. & habetur de conſecr. diſt.2.cap.ſacrificium.allegatur a Magiſtro Senten. & S. Thom. Nauarro, & alijs ſupra nominatis.

xa. Omnes diffinitiones iſtæ optimæ ſunt;uerùm hæc ultima in uniuerſum patribus receptiſſima eſt. Vt bene meminit Vualden. auctor Tom. ſecundo Sacram.cap. 20. & allegatur à Soto.4. ſent. diſt.1.q.1.art. 2. Lotio nanque Sacramentalis qua miniſter ſub certa verborum forma corpus fo

ris intingit, latentem animæ ablutionem, quæ fit à culpa per gratiam desi-gnat. Vt bene magister senten. 4. cap. 1.

Cle. Meritò hæc vltima Sacramenti dif finitio omnibus gratissima est, quia breuis, & clara extat.

Diffinitio nanque esse debet, breuis, & dilucida, oratio naturam rei exponens.

Exa. Et si bona sit hæc Sacramenti diffi nitio, patitur tamen difficultatem, quandoquidem diffinitio conuerti de bet cum suo diffinito. Sed hæc diffinitio non conuertitur cum ipso Sacramento, nam multa sunt rei sacræ signa, & tamen non sunt Sacramentum, puta Crux Christi, aqua benedi cta, & huiusmodi, ergo non uidetur uerum, quòd Sacramentum sit sacræ rei signum.

Cle. Cum dicitur in ipsa diffinitione Sacramenti, sacræ rei; non intelligi-

tur

tur quælibet ſacra res, quia ſic Crux, & multa alia eſſent Sacramenta; ſed intelligitur res ſacra ſanctificans nos: Eſt igitur Sacramentum, ſignum ſenſibile rei ſacræ nos ſanctificantis. Et per rem ſacram nos ſanctificantem intelligimus principaliter gratiam gratum facientem. Et ſic patet ſolutio ad dubium, non enim aqua benedicta, & Crux Chriſti, & huiuſmodi ſunt ſigna rei ſacræ, quatenus nos ſanctificat; ſed ſolum Sacramenta ſunt huiuſmodi. Nam ſignant rem actu nos ſanctificantem. Ablutio enim illa baptiſmi eſt ſacræ rei ſignum; quia ſignificat nos tunc ſpiritualiter ablui, ſicut abluitur corpus. Hęc ex S. Tho. 4. ſenten. diſtin. 1. quæſt. 1. artic. 1. quæſt. 1. & ab alijs.

Exa. Quot ſunt genera Sacramentorum?

Cle. Sunt duo, ſcilicet veteris, & nouę legis: quæ quidem diuiſio eſt analogi,

non autem generis in ſuas ſpecies, ut Sanctus Tho. 4. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 1. q. 3. ad. 5.

Exa. Conuenit ne ſupradicta diffinitio ſacramenti, etiam Sacramentis veteris legis?

Cle. Conuenit. Vnde Sotus ſic inquit. Sacramentum eſt ſignum ſacræ actionis, ſiue quæ tunc fit in anima, vt in noſtris Sacramentis, ſiue quæ futura eſt per Chriſtum: Sacramenta enim legis veteris gratiam per Chriſtum futuram præſignabant. Hæc ille. 4. ſen. diſt. 1. q. 1. art. 2. & Riccar. ibidem q. 3.

Exa. Differunt ne Sacramenta veteris legis à Sacramentis nouæ legis?

Cle. Maxime. Et qui oppoſitum diceret anathema eſſet. Vnde in Concil. Triden. ſic dicitur. Si quis dixerit, ea ipſa nouæ legis Sacramenta, a Sacramentis antiquæ legis non differre, &c. anathema ſit: hæc ibi ſeſs. 7. can. 2.

Sed

Eca. Sed quæro quomodo differunt Sacramenta veteris legis a Sacramentis nouæ legis?

cle. Differunt multipliciter. primò quidem, quia Sacramenta veteris legis non aperiebant cœlum, nam patet ex multis ſacræ Scripturæ locis. Omnes antiqui patres, etiam ſanctiſsimi fatebantur, ſe in infernum deſcenſuros, vt Iacob Geneſis 37. deſcendam ad filium meum lugens in Infernum. Et Iob. cap. 17. Infernus domus mea eſt: Sed Sacramenta nouæ legis cœlum aperiunt. Chriſtus enim ſua paſſione cœli ianuam in communi generi humano aperuit, in particulari uerò aperiunt ipſa ſacramēta; Vnde in ſignum huius, ut habetur Matthei 3. Chriſto baptizato aperti ſunt cœli, ut intelligeremus per uirtutem Sacramenti nobis cœlum aperiri, quod prius clauſum manebat. Et Pau. ad Epheſ. 2. Cuius gratia eſtis ſaluati, & conſede-

re uos fecit in cœleſtibus. & Matth. cap. 25. Venite benedicti patris mei, percipite Regnum &c.

Secundò differunt, quia illa, (ut Aug. ſuper Pſal. 73.) promittebant tantum, & ſignificabant ſalutem, Sacramenta uerò nouæ legis dant ſalutem.

Tertiò differunt, quia Sacramenta ueteris legis, ſolùm ſignificabant gratiam, Sacramenta uerò nouæ legis, non ſolùm ſignificant, ſed etiam cauſant, & conferunt eam. Vnde S. Tho. allegans glo. Gala. 3. ſic iniquit, Sacramenta ueteris legis dicebantur egena, & inania; quia gratiam non continebant, ſed hoc non poteſt dici de Sacramentis nouæ legis; quia gratiam continent, Hæc ille 4. ſent. diſtin. 1. q. 1. art. 4. q. 4. ibi.

Et idem tenet Petrus Palud. relatus a S. Ant. 3. par. tit. 14. cap. 11. §. 2.

Et in Concil. Florent. ſub Euge-

nio

nio 4. hæc ferè verba Augu. referuntur, videlicet, quòd illa veteris legis Sacramenta non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant; nostra verò, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Hæc ibi. Vt Sot. 4. dist. 1. q. 3. art. 1.

Exa. Quoniam veteris legis Sacramenta nunc nobis prodesse non possunt, & eorum notitia nihil, aut parum nobis confert, ideo ipsis omissis, solùm de Sacramentis nouę legis sermonem habebimus. Quæro igitur.

Quot sunt prædicta Sacramenta nouæ legis?

Cle. Sunt septem. Vt omnes Catholici fatentur. & si quis plura, uel pauciora esse quàm septem diceret, anathema esset. iuxta Concil. Triden. decretum. sess. 7. de Sacramentis. Can. 1.

Exa. Et quæ sunt ista nouæ legis Sacramenta?

Ba-

Cle. Baptiſmus, Confirmatio, Eucha-riſtia, Pœnitentia. Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Iuxta gloſ. ſingu. cap. veniens. de tranſactio. & communem doctrinam in 4.ſent.di-ſtin. 1.& in Conci.Flor. & nuper in ſa cro Conc.Trid.ſeſſ.7.de Sacr.Can. 1.

Quæ ſeptem Sacramenta in his verbis continentur.

Ordinat,& Iungit, Baptizat, Chriſmat, & Vngit.

Peccatum plangit, in altari ſacra tangit.

Hæc eſt Petro Palud. in 4. ſenten. diſtin. 9. & S. Ant. in 3. parte tit. 14. cap.2.§.8.

Exa. Quare ſeptem ſunt Sacramenta,& non plura, uel pauciora?

Cle. Cõuenienter ſunt tantum ſeptem ſacramenta inſtituta. Primò quidem, quia homo per inobedientiam, ſeptẽ ſpiritualibus infirmitatibus animæ e-rat ſubditus, ſcilicet, peccati origina-lis, & mortalis, venialis, malitiæ,con

cu-

cupiſcentiæ, ignorantiæ, & impoten tiæ, ac debilitatis ad bonum: & propter hoc, ad eripiendum ipſum hominem ab his infirmitatibus, inſtituta ſunt ipſa ſeptem Sacramenta. Nam ab infirmitate originalis culpæ eripit Baptiſmus; ab infirmitate mortalis peccati eripit Pœnitentia; ab infirmitate venialis peccati eripit extrema Vnctio; ab infirmitate malitiæ eripit Eucharistia; ab infirmitate concupiſcentiæ Matrimonium; ab ignorantia eripit Sacramentum Ordinis; à debilitate & impotentia eripit confirmatio. ex S. Th. 4. ſenten. diſtin. 2. q. 1. art. 2. & 3. par. q. 65. ar. 1.

Sunt etiam ſeptem inſtituta ſacramenta, quia per hæc acquirimus uitam ſpiritualem, ad quam ſeptem requiruntur, ſicut in uita corporali: in vita enim corporali primò requiritur natiuitas, & hanc conſequimur per Baptiſmum. qui (ut Paul. ad Titum 3.)

est lauacrum regenerationis, unde Christus. Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Secundò requiritur consolidatio, corroboratio, & augmentum corporis, nam recenter natus est, satis debilis; & hæc præstat nobis ipsum confirmationis Sacramentum, per quod in fide consolidamur, ut de Apostolis iam Baptizatis dictum est, sedete in ciuitate donec induamini uirtute ex alto. Lucæ vlt.

Tertiò requiritur cibus ad nutritionem, sine quo temporalis vita consistere non posset. Et vicem huius in vita spirituali gerit Eucharistiæ Sacra. iuxta illud Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.

Quartò requiritur in vita corporali medicina ad sanitatem comparandam,

dam, quando incidit homo in morbum, & locum huius in vita ſpirituali tenet pœnitentiæ ſacramentum, iuxta illud Pſal. Sana animam meam, quia peccaui tibi.

Quintò requiritur remedium contra reliquias infirmitatis. Cui in vita ſpirituali reſpondet extrema Vnctio, quæ remouet peccatorum reliquias, hominemq́ue adeo ad iter cœleſtis gloriæ capeſſendum paratum reddit, de qua re, Iaco. 5. Et ſi in peccatis eſt, remittentur rei.

Sextò requiritur propagatio prolis, ad perpetuandam humanam ſpeciẽ, & hoc fit per Matrimonium, quod non ſolum eſt officium naturæ, ſed & Sacramentum gratiæ.

Septimò requiritur in humana vita, vt ſint qui rem publicã gubernent, & præſint alijs, & hoc pręſtatur in vita ſpirituali per ſacramentum ordinis, iuxta illud Hebręo. 7. quòd ſacerdotes

hoſtias offerunt non ſolum pro ſe, ſed etiam pro populo. Hæc ex S. Tho. 3. par. q. 65. art. 1. S. Ant. 3. par. tit. 14. c. 1. Soto 4. ſent. diſt. 1. q. 6. ar. 1. Sum. Sacramen. de Sacra. §. 7.

Exa. Quæ ſunt de eſſentia in omni Sacramento? ſeu ex quibus conſtat unumquodque Sacramentum?

Cle. Tria ſunt de eſſentia Sacramenti, ex quibus neceſſario conſtat omne Sacramentum, uidelicet. Materia, forma, & miniſter. Vnde in Concilio Florentino ſic dicitur. Tribus perficiuntur Sacramenta, uidelicet, rebus tanquã materia, verbis tanquàm forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum, intentione faciendi, quod facit Eccleſia. hæc ibi, ut Sot. 4. ſen. diſt. 1. in tex. & diſt. 3. q. 1. art. 8. & diſt. 26. q. 2. ar. 3.

Et in Concil. Triden. dicitur quòd materia, & forma Sacramenti eſſentia perficitur, hæc ibi. ſeſſ. 14. cap. 2.

&

& in eodem Concilio dicitur neceſſario requiri intentionem miniſtri. Vnde ſic ait. Siquis dixerit, in miniſtris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit. hæc ibi. ſeſſ. 7. Canon. 11.

Exa. Quæ eſt materia, & forma in unoquoque Sacramento?

Cle. Omnis materia Sacramentorum conſiſtit in rebus ſenſibilibus determinatis, & omnis forma eorum conſiſtit in uerbis determinatis, itaque loquendo de materia, & forma Sacramentorum in communi dico, quòd res ſenſibiles determinatæ ſunt materia, & uerba determinata ſunt eorum forma, ut ex ſupradicto Concil. Flor. & magiſter ſent. 4. diſt. 1. ſic inquit. duo ſunt in quibus Sacramentum cõſiſtit, ſ. verba & res. Verba ut inuocatio Trinitatis, Res ut aqua, Oleum, & huiuſmodi. Hæc ille.

Et

Et ita tenent omnes Doctores præcipuè S. Tho. 3. par. q. 6. ar. 4. & 5. & 6. & 7.

Vnde Augustinus inquit, retrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. hęc ille, super Io. tract. 80. 1. quæst. 1. Can. detrah.

Exa. Sed quæro vtrum liceat aliquid addere, uel minuere, uel mutare de uerbis in quibus consistit forma Sacramentorum.

Cle. Si per huiusmodi mutationem, aut additionem, vel subtractionem uerborum tollatur debitus sensus verborum, uel corrumpatur, non perficitur Sacramentum; si uerò non tollatur, nec excludatur debitus sensus, talis mutatio, seu subtractio &c. quia non tollit id quod est de substantia Sacramenti, non aufert eius ueritatem, licet minister peccaret, si hoc ex contemptu, uel negligentia faceret.

ret. itaque non licet addere uerbis formæ Sacramentorum, & si fiat additio, quæ tollat sensum verborum, Sacramentum nullum est. vt ex S. Tho. 3. par. q. 60. ar. 7. ad 3. & art. 8. & in 4. sen. distin. 3. q. 1. artic. 2. & Soto ibidem art. 8.

Exa. Quæ considerantur, & reperiuntur in unoquoque Sacramento?

Cle. Tria, videlicet, Sacramentum, res siue effectus, & res, & Sacramentum, sicut in baptismi Sacramentum tantùm est illa exterior ablutio, res tantum est gratia, quæ in Sacramento confertur, res, & Sacramentum est character, qui ĩ baptismo imprimitur.

In Sacramento verò Eucharistiæ. Sacramentum tantum est species panis, & pariter species uini, res tantùm est gratia, quæ confertur sumentibus illud. Res, & Sacramentum sunt corpus, & sanguis, & virtus Sacramenti, ut ex S. Tho. 3. par. q. 73. ar. 1. ad 3. &

4.ſent. diſtin. 24. q. 1. art. 1.q. 2.ad 1. Sot. 4.diſt. 8.q. 1.ar. 1. Sum. Confeſſ. lib. 3.tit. 24.q. 1. Syl. Sacra. §.j.

Exa. Quot, & quæ cauſæ concurrunt in Sacramentis?

Cle. Sex. uidelicet efficiens, & eſt ſolus Deus, ut S. Tho. 3.p.q. 64. ar. 1. & 2.

Materialis, & eſt elementum ſenſibile, ſeu res ſenſibilis, ut S.Th. 3.p. q. 60. ar. 6. in cor. & ad 2. & art. 7.

Formalis, & ſunt determinata verba, ut idem S. Tho. in eiſdem locis immediatè citatis.

Meritoria, & eſt, Paſſio Chriſti, vt S. Tho. 3.p.q. 64.art. 3.

Inſtrumentalis, & eſt Miniſter, ut S. Tho. 3.p.q. 64.art. 5.& art. 9.

Finalis, & eſt, ipſa gratia, uel character, ut S. Th. 4.ſent.diſt. 1.q. 1.ar. 4.q. 1.& 3.p.q. 62.art. 1.

Exa. Sacramenta ſunt ne omnia neceſſaria ad ſalutem?

Cle. Sunt quidem omnia neceſſaria, licet

cet non omnia ſingulis neceſſaria ſint. ut in Conc. Trid. ubi ſic dicitur.

Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licèt omnia ſingulis neceſſaria non ſint; anathema ſit. Hæc ibi, ſeſſ. 7. can. 4. & idem tenent omnes Catholici.

Exa. Sed quæritur, quomodo Sacramenta ſunt quidem omnia, ſed non omnibus neceſſaria?

Cle. Dico, quòd Sacramenta omnia quidem ſunt neceſſaria, quia uel ſunt neceſſaria ſimpliciter, vel ſecundùm quid: non omnibus autem, & ſingulis ſunt neceſſaria; quia non omnia ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed aliqua eorum ſunt neceſſaria ſecũdùm quid. Si enim omnia eſſent ſimpliciter neceſſaria; tunc omnibus eſſent neceſſaria; non inconuenit ergo quòd omnia

ſint neceſſaria, & non tantùm omnibus ſint neceſſaria. vt ex S. Tho. 3. par. q. 65. ar. 4. & 4. ſen. diſt. 7. q. 1. ar. 1. q. 2. & Sot. 4. diſt. 1. q. 6. art. 4.

Sed quęritur duo. Primum quid eſt illud, quod dicitur neceſſariũ ſimpliciter, & neceſſariũ ſecundũ quid. ſecundum, quæ ſunt Sacramenta neceſſaria ſimpliciter, & quæ ſecundum quid.

Vnica reſponſione his duobus quæſitis ſatisfaciam. Dico igitur, quod illa dicuntur eſſe neceſſaria ſimpliciter, ſine quibus finis obtineri non poteſt, ut eſt cibus qui dicitur neceſſarius ſimpliciter ad vitam ſuſtentandam.

Et iſto modo tria Sacramenta dicuntur neceſſaria ſimpliciter, licet diuerſimodè, videlicet. Baptiſmus, Pœnitentia, & Ordo. Sed baptiſmus quidem eſt per ſe ſimpliciter, & abſolutè cuicunque ſingulari perſonæ neceſſarius. Pœnitẽtia verò per accidens, ſuppoſito ſcilicet peccato mortali, ſed

Sacra-

Sacramentum ordinis est quidem simpliciter neccessarium, non tamen singulari personæ, sed Ecclesiæ in communi, hoc est, fidelium vniuersitati, imo cuicunque Prouinciæ. Nam sine sacerdotibus nõ posset diuinus cultus administrari. Iuxta illud Prou. 11. Vbi non est gubernator, populus corruet.

Dicuntur autem aliqua esse necessaria secundum quid, quando sine illis finis commodè attingi non potest, quemadmodum itineri lõgo peragendo necessarius dicitur esse equus. Et isto modo necessitatis dicuntur, esse necessaria reliqua quatuor Sacramenta, nempe Confirmatio, Extrema Vnctio, Matrimonium, & Eucharistia.

Matrimonium namque Ecclesiæ multitudinẽ per propagationem conseruat, sed Eucharistia est spiritualis alimonia ad reficiendam virtutem, quæ assidua infestatione dæmonum, & sensualitatis quotidie deteritur. Cõ-

firmatio verò, perficit Baptiſmum, ſicut Extrema Vnctio Pęnitentiam perficit, vt ex S. Tho. 4. ſen. diſtin. 7. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 2. & 3. parte quæſt. 65. art. 4. & Sot. 4. diſt. 1. quęſtio. 1. in textu, & q. 6. artic. 4.

Exa. Bona reſponſio, ſed patitur aliqualem difficultatem, nam Sacramentum Euchariſtiæ non uidetur poſſe dici Sacramentum neceſſarium ſecundùm quid, ſed neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè, dicente Domino Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem &c. ergo non eſt neceſſarium ſecundum quid. Sed abſolutè, cùm ſine eo ſalus eſſe non poſſit.

Item ſi Extrema vnctio, & Confirmatio non eſſent Sacramenta neceſſaria ſimpliciter, ſed tantum ſecundùm quid, ſequeretur, quòd ſi quis illa ex negligentia omitteret, non peccaret, quod abſurdum uidetur.

Dico,

cle. Dico, quòd aliquid dicitur esse necessarium simpliciter bifariam, vno modo necessitate finis, & altero necessitate præcepti. Id dicitur necessarium necessitate finis, sine quo finis obtineri non potest: & isto modo tria Sacramenta, videlicet Baptismus, Pœnitentia, & Ordo (ut dictum est) sunt simpliciter necessaria, in quibus etiam includitur spiritualis manducatio Eucharistiæ per fidem; quia ipsa est proprius finis Baptismi, ad quem ille ordinatur, per fidem, quę recipitur in baptismo, suscipitur Eucharistia in voto. & hoc est, quod ait Augustinus, crede, & manducasti.

Necessitate autem præcepti, sumptio Eucharistiæ in re est necessaria, ut ex S. Tho. 3. parte. q. 65. art. 4. ad 2. & Sot. 4. senten. dist. 1. q. 6. art. 4.

Sacramentum igitur Eucharistiæ, quo ad manducationem spiritualem, est necessarium simpliciter necessitate

finis, quo uerò ad manducationem realem, & Sacramentalē est necessarium, quidem simpliciter, sed necessitate prę cepti, non quidem absolutè, sed quo ad tempus ab Ecclesia destinatum.

An autem omissio Sacramenti Extremæ unctionis, & Confirmationis, sit mortalis, si absit contemptus inferius dicetur cum de uno quoque ipsorum in particulari tractabitur.

Exa. Hæc Sacramenta nouæ legis, sunt ne paria omnia, an differunt inter se?

Cle. Non sunt paria, sed distinguuntur inter se, unde in Concil. Triden. sic dicitur. Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. Hæc ibi sess. 7. canon. 3.

Exa. Quę differentia ergo est inter ipsa Sacramenta nouæ legis?

Cle. Primò differunt, quia aliud, alio dignius est, ut in prædicta sessione dicitur. Vnde, & Sacramentum Eucha

ristiæ

ristiæ est potissimum inter Sacr. ut S. Th, 3.p.q.65.ar.3.

Secundò differunt respectu materiæ, & formæ, quæ est diuersa in vno quoque Sacramēto, vt videbitur infra.

Tertiò differunt, quia quædam solùm sunt sacramenta in vsu, & applicatione, idest dum conferuntur, nam Chrysma consecratum ab Episcopo, non est Sacramentum confirmationis, sed solum cum Episcopus ungendo profert formam verborum. Eucharistia verò, non solùm dum consacratur, aut sumitur, sed etiam conseruata in tabernaculo, aut uase est Sacramentum. ut ex S. Tho. 3, par.q.73.ar. 1.ad.3.& q.78.art.1.

Quartò differunt, quia, (ut dictum est) quædam sunt necessaria simpliciter, quædam secundum quid, seu ex præcepto Ecclesiæ.

Quintò differunt, quia quædam sunt iterabilia, quædam non, ratio est

quia hæc imprimunt characterem, illa verò non.

Exa. Et quæ ſunt illa Sacramenta, quæ non poſſunt iterari, ex eo, quòd characterem imprimunt?

Cle. Sunt tria, illa quæ iterari non poſſunt, propter characterem quem imprimunt, videlicet.

Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, alia verò quatuor iterari poſſunt, quia characterem non imprimunt. Vnde in Concil. Triden. ſic habetur. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, vnde ea iterari non poſſunt, anathema ſit. Hęc ibi, ſeſſ. 7. de Sacram. can. 9. & S. Tho. 3. parte q. 63. art. 6. & Ricc. 4. diſt. 5. art. 2. q. 3. & q. 4.

Exa. Quare Sacramenta quæ characterem imprimunt iterari non poſſunt?

Cle. Quia talis character eſt indelebilis, propter hoc tria illa Sacramenta, in

quibus

quibus imprimitur, nullo modo itera tur ne fiat iniuria habentibus perpetuum effectum ac si prima collatio nõ fuisset valida. Vnde, & in mortuis dam natis, & saluatis permanent perpetuò characteres, vt S. Ant. 3.par.tit.14.c. 11.§.6.Sũ.Confess.lib.3.tit.24.q.51.

Exa. Quid est character?

Cle. Character est quoddam signum spirituale, & indelebile, quod in anima imprimitur, ut habetur in eodem Concilio eadem sess. & eodem Canone.

Dicitur etiam esse quędam spiritualis potestas, per quam homo efficitur capax ad recipiendum, & ministrandum Sacramentum. In Baptismo enim homo accipit potestatẽ recipiendi alia Sacramenta, cum ea omnia præsupponant characterem baptismalem. In Sacramento confirmationis homo perficitur, & accipit potestatẽ confitendi nomen Christi ex

officio.

officio. In Sacramento verò ordinis ordinatus accipit poteſtatẽ miniſtran di Sacramenta. Hæc ex S. Tho. 3.p.q 63.ar.1.& S.Ant.3.p.ti.14.c.11.§.6 Riccar.4.ſent.diſt.5.art.2.q.4. Soto ibidem diſt.1.q.4.ar.2.

Exa. Et quare in his tantùm tribus Sacramentis character imprimitur, & non in alijs quatuor Sacramentis?

Cle. Quia character(ut dictum eſt)quædam ſpiritualis poteſtas eſt, ideo in illis tantùm Sacramentis imprimitur, in quibus aliqua ſpiritualis poteſtas confertur. Et quia (vt diximus) in Baptiſmo homo accipit facultatem recipiendi reliqua Sacramenta, (ipſe nanque ianua eſt, omnium Sacramentorum) in confirmatione, fidelis recipit poteſtatem ad exercendas actiones contra infideles ex officio, in ordine accipit poteſtatem exercendi ſpirituales actiones circa fideles baptizatos. meritò in his tribus ſolùm character

im-

imprimitur, & non in alijs quatuor, in quibus nulla ſpiritualis poteſtas confertur, ut S. Tho. 4. ſent. diſt. 4. q. 1. artic. 4. q. 2. & in 3. p. q. 63. ar. 6. & S. Anto. ubi ſupra.

Exa. Sacramenta nouæ legis, quis inſtituit?

Cle. Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Vnde in Concil. Triden. ſic diffinitur: Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit. Hæc ibi ſeſſione 7. can. 1.

Exa. Cum Chriſtus fuerit verus Deus, & uerus homo, utrum ut Deus, an ut homo Sacramenta ipſa inſtituit?

Cle. Chriſtus, ut Deus, & ut homo Sacramenta inſtituit. Verùm vt Deus, Sacramenta inſtituit authoritatiuè, ut homo inſtituit meritoriè, & efficienter, nam eius paſſio fuit cauſa meritoria Sacramentorum. Et ſic ipſe Chriſtus, ut Deus habet poteſtatem

au-

authoritatis in Sacramentis, ſed ut ho
mo habet poteſtatem miniſterij prin
cipalis, ſiue poteſtatem excellentię
quam non habent alij miniſtri. Sec
notandum quòd Chriſtus ut homo
non eſt cauſa effectiua, ſeu non inſti-
tuit Sacramenta efficienter principali
ter, ſed per modum inſtrumenti, non
cuiuſcunque, ſed coniuncti diuinita-
ti in perſona, ut ex S. Tho. & Caie-
tan. 3. parte. q. 64. art. 3. Soto 4. ſent.
diſt. 1. q. 5. art. 3.

Exa. Et cur Chriſtus inſtituit huiuſmo-
di Sacramenta?

Cle. Rationabiliter Chriſtus Sacramen
ta in noua lege inſtituit; & ut docto-
res dicunt. Trina fuit Sacramẽtorum
neceſſitas; ſ. eruditio, humiliatio, &
exercitatio noſtra.

Nam cum prouidentia diuina ſit,
vnicuique rei iuxta ſuam naturam, &
ingenium ſuauiter perſpicere: & intel
lectus noſter ſuapte natura ſenſuum
admi-

adminiculo utatur, congruens fuit, ut per hæc visibilia signa de latentibus misterijs diuinitus erudiremur. Mox quoniam in morbum inde collapsi sumus, quòd mundi nos elementis, relicto Deo, subijcimus, id nobis antidotum congruebat, ut sensibilibus, quoque elementis Imperio Dei. Subiecti, nostram edomaremus superbiam. Ac demum quia Christiana religio ociosa esse non debuit, eiusmodi Sacramentorum cæremonijs nos docuit exercitari. Hæc ex Hugo. lib. 1. parte 9. de Sacram. cap. 3. ut Sot. 4. sen. dist. 1. in textu.

Exa. Quis est effectus Sacramentorum nouæ legis?

Cle. Sacramētorum est duplex effectus, scilicet principalis, idest gratia, & secūdarius, idest character uel aliquis ornatus animæ, in Sacramentis in quibus non imprimitur character. Hæc ex S. Tho. 3. par. q. 62. art. 1. & 4. sent.

ist.

dist. 1. q. 1. ar. 4. q. 1. & S. Ant. 3. par. tit. 14. cap. 2. §. 1.

Exa. Vnde habent Sacramenta suam efficaciam?

Cle. Efficacia, & virtus Sacramentorum est ex Deo, vt à causa principali, sed ex Passione Christi, ut à prima causa meritoria, & ut ab instrumento coniuncto diuinitati, ut ex S. Tho. 3. p. q. 62. ar. 5. & 4. sen. dist. 1. q. 1. ar. 4. q. 3.

Vnde & glosa super illud Rom. 5. in similitudinem pręuaricationis, &c. Sic inquit. Ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt Sacramēta, per quæ saluata est Ecclesia. Hæc ibi.

Et Augu. ait in lib. de ciuitate Dei cap. 26. loquens de hostio, quod fuit in Archæ latere. Profectò illud est vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum est, ac quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta, manauerunt quibus credentes initiantur. Hæc ille.

Sed

Exa. Sed quæro in quo tempore Sacramenta nouæ legis cęperunt obligare, ac proinde quādo cessauerūt legalia?

Cle. Post Christi Passionem, & Resurrectionem, ac Euangelij promulgationem: & tunc etiam legalia omnia cessauerunt, & fuerunt, & sunt mortifera. Vnde Pau. ad Gal. 5. si circuncidimini Christus nihil uobis proderit. Ex S. Tho. 1. secun. q. 103. art. 4. & 3. p. q. 66. ar. 2. Ricc. 4. sent. dist. 2. art. 1. q. 2. Sot. 4. distin. 3. q. 1. artic. 2. Sum. Sacr. §. 10.

Exa. Quis est minister Sacramentorum nouæ legis?

Cle. Ministrator Sacramentorum regulariter est Sacerdos, excepta confirmatione, & ordinibus superioribus, quæ solus Episcopus confert, secundùm Ray. de consec. dist. 5. relatum per S. Ant. 3. par. tit. 14. cap. 2. §. 9.

Et S. Tho. inquit, quòd soli ministri Ecclesiæ possunt conferre Sacra-

menta, præter baptiſmum, ut 4.ſen. diſ.7.q.3.ar.1.q.1.& diſ.13.q.1.ar.3.

Et quòd nullius Sacramenti diſpenſatio conuenit laico, ex officio. Hæc ille 4.diſt.13.q.1.ar.3.q.1.& diſt.23. q.2.ar.1.q.1.

Exa. Vtrum intentio miniſtri neceſſariò requiratur ad perfectionem Sacramentorum?

Cle. Dico, quòd neceſſario requiritur miniſtri intentio, aliàs Sacramentum nullum eſſet, etiam quòd verba proferantur ſuper debitam materiam, & non ſit debita intentio in miniſtro applicante, non perficietur Sacramentum; quia Sacramentalis actio debet eſſe humana, hoc eſt, iudicio deliberata, ergo debet ex intentione ad proprium effectum dirigi, ſicut actio artificis. Quæ enim abſque intentione fiunt, caſualia ſunt, & fortuita (ut ſecun.Phyſi. dicit Ariſt.) quod actioni, quæ fit à miniſtro Dei maximè dero-

ga-

garet. Et ita fatentur omnes, & habetur in Conc. Trident. ses. 7. can. 2. & apud S. Tho. 3. p. q. 64. ar. 8. & 10. & in 4. sen. dist. 6. q. 1. ar. 2. q. 1. & alios.

Exa. Et quid debet intendere minister dũ Sacramenta efficit, siue ministrat?

Cle. Debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ut in Concil. Triden. sess. 7. can. 2. ubi sic dicitur, Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciẽdi quod facit Ecclesia, anathema sit.

Nam si hoc non intenderet, sed intenderet aliquid derisoriè agere, nullum esset Sacramentum, quod conficeret, aut conferret, vt ex S. Thom. 3. parte q. 64. art. 10. & S. Ant. 3. parte tit. 13. cap. 6. §. 2. & Riccar. 4. sen. dist. 6. art. 1. q. 2. ad 2.

Exa. Sed quæro vtrum requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana, vel Catholica? Hæretici nan-

que non habent huiuſmodi intentionem, imò neque Greci ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter aſpiciunt.

Cle. Reſpondetur quòd neque hoc exprimere opus eſt, ſed ſufficit generaliſſima intentio faciendi quod Chriſtus inſtituit, vel orthodoxa Eccleſia quæcunque ſit illa. Quare licet hæreticus erret, ſit ne ſua Eccleſia, uel alia, uerè baptizat, imò nec requiritur, vt formaliter dicat, quod facit Eccleſia, ſed ſatis eſt ſi intendat talem cæremoniam in remiſſionem peccatorũ facere, vel quod per illam Deo ſit ille dedicatus.

Imò, ſatis eſt, intendere id facere, quod facit Epiſcopus, vel Sacerdos: hec enim omnia eandem habent virtutem. Vt rectè, & perbellè ait. S. Ant. 3. parte tit. 14. cap. 13. §. 10. & Sot. 4. ſen. diſt. 1. q. 5. art. 8.

Exa. Quid ſi miniſter, dum Sacramentum miniſtrat, non attẽderet ad illud propter mentis deuagationem, num pro-

propterea Sacramentũ nõ perficietur.

cle. Dicunt Doctores, sufficere habitualem, seu virtualem intentionem ministri, ut scilicet cum ipse accedit ad celebrandum, aut baptizandũ, & huiusmodi intendat facere, quod Ecclesia præcipit.

Vnde si dum est in officio mentes aliorsum rapitur, in virtute prioris intentionis perficitur Sacramentũ. Quãuis studiosè curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

Hæc ex S. Tho. 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2. & 3. par te q. 64. art. 8. ad 3. & ex alijs.

Habere actual em intẽtionem semper; non est totaliter positum in hominis potestate; quia præter intentionem cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundùm illud Ps. Cor meũ dereliquit me. Sed quęro, si intẽtio ministri est necessaria,

& talis intentio non eſt nota, quomodo ergo homo poterit eſſe certus ſe ſuſcepiſſe verè Sacramenta à miniſtro? ergo ſemper erit dubius an Sacramenta receperit, uel ne.

Cle. Dicunt Doctores, quòd nõ obſtat, quòd intentio miniſtri non poſſit eſſe nota; quia miniſter agit in perſona Eccleſiæ cuius eſt miniſter. in verbis autem, quę proferuntur exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramẽti, (niſi exterius contrarium exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis) quantùm ad ſatisfactionem præcepti de Sacramento ſuſcipiendo, uel certitudinem coniecturalem faciendam, qua quis poteſt abſolutè credere ſe ſuſcepiſſe Sacramentũ, & adorare hoſtiam conſecratam, ſine conditione: debemus enim ambulare bona fide; quia quilibet debet præſumi bonus; niſi appareat de oppoſito.

Vbi autem miniſter ex malitia in bapti-

baptiſmo, uel Pœnitentia, uel alio Sacramento falleret, non habendo intentionem faciendi quod Eccleſia facit; ſed tantùm irridere hominem, & hæc ſua malitia non eſſet nota, Deus (qui facienti, quod in ſe eſt, non deficit in neceſſarijs, nec allegauit uirtutem ſuam Sacramẽtis) ſua infinita bonitate suppleret, non quò ad characterem, ſed quò ad gratiam, & hoc propter deuotionem ſuſcipientis. Hæc ex S. Tho. 4. diſt. 6. q. 1. art. 2. & 3. parte q. 64. art. 8. ad ſecundum. Caie. ibidem. Vigue. de Sacra. in genere ver. 6. Sot. 4. diſt. 1. q. 5. art. 8.

Exa. Hęc reſpõſio habere poteſt locum in adultis, in quibus deuotio eorum ſupplet defectum intẽtionis miniſtri: ſed quid dicendum de pueris? num ſi miniſter dum illos baptizat, & non intendit baptizare, ſeu non intendit facere quod Eccleſia facit, conſequentur gratiam ex deuotione parentum,

vel Christus ibi supplebitur.

Cle. Nequaquá nullus enim potest mereri alteri primam gratiam: cùm ergo paruulus ante vsum rationis nullum motum deuotionis in Deum habere possit; & Sacramentum ei nullum applicetur per defectum intentionis ministri, nihil illic Deus supplebit. Stat nim le x generalis. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spititu sancto, non intrabit in regnum Cœlorum. Quare talis paruulus peribit propter peccatum originale. Hæc ex Sot. 4. dist. 1. q. 5. art. 8.

Exa. Quid si minister dum conficit, uel ministrat Sacramentum habeat quidem intentionem faciendi quod Ecclesia facit, sed tamen illud facit propter aliquem malum finem, puta si celebret tantum propter pecuniam, uel baptizet aliquam personam, ut possit abuti illa, & huiusmodi talis peruersa Ministri intentio ueritatem

Sacra-

Sacramenti tollatur.

Cle. Dico, quòd licet quis non propter finẽ uitę æternæ, ſed propter aliquem temporalem finem baptizet ſuos paruulos, uerum eſt Sacramentum (modò intendat facere, quod Eccleſia facit) ut S. Augu. relatus per Sot. 4. ſen. diſt. 1. q. 5. art. 8.

Et licèt quis intentione peccandi mortaliter baptizaret, intendendo ſcilicet adulterium, homicidium, & huiuſmodi perpetrare; ſi tamen ſimul intenderet facere quòd Eccleſia facit, eſſet Baptiſmus. Nã talis intentionis peruerſitas ueritatem Sacramenti nõ tollit: et ratio eſt, quia ad ueritatem Sacramenti ſufficit intentio faciẽdi quod Eccleſia facit: ut S. Tho. 3. par. q. 64. art. 10. & ſen. 4. diſt. 6. q. 1. art. 2. q. 2. Sot. 4. diſt. 1. q. 5. art. 8. & art. 10.

Exa. Si peruerſitas intentionis miniſtri ueritatem Sacramenti non tollit, quæro utrum infidelitas miniſtri tollat Sa

cramen-

cramenti ueritatem, puta ſi miniſter eſſet hęreticus, uel infidelis, & non crederet in Sacramenta, quę conficeret, uel miniſtraret, num propter hoc Sacramentum nullum eſſet?

Cle. Dicunt Doctores, quòd non requiritur neceſſariò ad perfectionē Sacramenti fides eius, ſcilicet Sacramenti, nā miniſter cum ſolùm inſtrumentaliter operetur, non agit in virtute propria, ſed in uirtute Chriſti, qui operatur per fidem propriam in adultis, uel per fidem Eccleſiæ in pueris. Et ideo ſufficit ad veritatem ipſius Sacramenti intentio Eccleſiæ, ideſt quòd intendat miniſter facere quod Eccleſia facit. Modò adſint cętera, quæ de neceſſitate ſunt Sacramenti, etiam quòd in Eccleſiam, & in ipſa Sacramenta non crederet; imò etiā, ſi arbitraretur ludicrum eſſe quicquid Eccleſia facit, Sacramētum eſſet ualidum, ſi tamen id faciat quod ipſa intendit, ut ex S.

Tho.

Tho.4.ſen. diſt.6.q. 1.ar.3.q.2. & 3. p.q.64.ar.9. Soto 4.diſt.1.q.5.art.9.

Exa. Et ſi miniſter neceſſariò debet intendere quod Eccleſia intendit, ergo infidelis, uel hæreticus non poteſt Sacramenta conficere, nam Eccleſia intendit per Sacramenta ipſa facere hominem filium Dei per gratiam, & facere illum Chriſtianum, hoc eſt membrum Chriſti: hoc autem non intendit infidelis, nec hęreticus, qui nõ credunt talem uirtutẽ ineſſe Sacramentis: ergo nec Sacramenta poſſunt conficere, cùm nõ intendant facere quod Eccleſia facit?

Cle. Ad hoc dubium dicitur, quod ad veritatem, & perfectionem Sacramenti non requiritur hæc intentio Eccleſiæ expreſſa, & in particulari, ſed requiritur intentio confuſa, & in genere faciendi quod Chriſtus, & Eccleſia facit, quicquid ſit illud, & hęc ſufficit, vt bene notat Sot. refertur enim 1. q.

1. can.

1.can. Spiritusſanctus: Hiſtoria de puero Anaſtaſio, qui fingendo ſe Epiſcopum ludo baptizabat pueros, intendens Alexandriæ Epiſcopum repræſentare, hoc eſt, id facere intendens, quod ille ſolebat. Quos pueros ipſe Alexander uerè baptizatos cenſuit, & tamen puer ille tunc nihil de uita æterna cogitabat. Et canon. Non illud de conſecratione, diſt. 4. ait ad Bonifacium Aug. quòd licèt, qui non propter finem uitæ æternæ (ut ſupra dictum eſt) ſed propter aliquem temporalem finem baptizet ſuos paruulos, uerum eſt Sacramentum.

Quinimò (ut diximus) licèt quis intentione peccandi mortaliter baptizaret, intendendo, ſed adulterium, uel homicidium, eſſet baptiſmus; Hæc ex S. Tho. 3. par. q. 64. ar. 9. & 10. & Sot. 4. diſt. 1. q. 5. ar. 8.

Exa. Si nõ requiritur neceſſariò fides miniſtri ad perfectionem Sacramenti, ergo

go aliquis infidelis, qui fidem non habet, poterit verè Sacramēta miniſtrare?

Cle. Dico, quòd infidelis in illo Sacramento, in quo poteſt miniſtrare, puta in Baptiſmo, poterit eſſe miniſter, & Sacramentum eſt verum, nam hoc Sacramentum (ut infra dicetur) cùm ſit neceſſitatis, poteſt ab unoquoque miniſtrari, reliqua uerò Sacramenta; quia non niſi à ſacerdote conferri poſſunt, & qui baptiſmatis unda non eſt lotus, Sacerdos eſſe nequit, fit ut niſi ab illo, qui fidem ſuſcepit miniſtrari; nequeant. Et ideo dum dicitur quòd non requiritur fides ex parte miniſtri, ad perfectionem Sacramenti, ſermo eſt, de illo qui in Sacramentis miniſter eſſe poteſt. infidelis autem cum non ſit ſacerdos, non poterit eſſe miniſter in alijs Sacramentis, præterquam in Baptiſmo, ut bene. Sot. 4. diſt. 1. q. 5. art. 9.

Exa. Sed quæro, utrum ſicut infideles

non

non poſſunt Sacramenta conficere, (excepto Baptiſmo)ſeu miniſtrare,ita etiam hæretici, & degradati, qui ſunt ſeparati, & abſciſi ab Eccleſia vel excommunicati?

Cle. Quia poteſtas miniſtrandi Sacramenta, pertinet ad ſpiritualem characterem,qui(ut dicimus)indelebilis eſt inde eſt, quòd ſi aliquis Sacerdos ab Eccleſia ſuſpenditur,uel excommunicatur, uel degradatur amittit poteſtatem conficiendi,& conferendi Sacramentum, ſed amittit licẽtiam vtendi hac poteſtate. Et ideo Sacramentum quidem confert, ſed tamẽ peccat,Hæretici igitur, & alij excommunicati, & degradati ſi ſeruant ea,quę de eſſentia ſunt Sacramentorũ, & intendunt facere,quod Eccleſia facit, uerè conficiunt, & Sacramenta per eos collata ſunt ualida, excepto Sacramento pœnitentiæ, (ut bene notat Sot.) quòd iuriſdictionem exigit, quam degradati,&

ti, & excommunicati, ſeu etiam hæretici non habent, & eſt ſermo de excommunicatis notoriè, & non tolleratis, & occultis. Vnde in Concil. Trid. ſic dicitur.

Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine patris, & filij, &c. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, nõ eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit, hæc ibi ſeſſio. 7. de Baptiſ. can. 4. & quod dicitur de Baptiſmo, intelligendũ eſt etiam de alijs Sacramentis.

Et ita tenent S. Tho. 4. ſent. diſt. 6. q. 1. art. 3. q. 3. ad 2. & diſt. 13. q. 1. ar. 1. q. 3. & 4. & alij.

Exa. Hæc eſt firma, & uera ſententia tenenda ab omnibus : tamẽ aliquando fuit de hoc etiam inter Catholicos altercatũ an hęretici cõferrent vera Sacramenta. Vnde Cyprianus cum Epiſcopis Prouinciæ Africæ, & aliarum duarum Carthaginem conuenerunt,

vbi

ubi Cyprianus determinauit, quòd ab hæreticis baptizati, essent rebaptizandi, & perseuerauit in ea opinione, ut patet c. Si quis inquit 1.q.1.& cap. quomodo exaudiet, de consec. dist. 4.

Cle. Vera sunt hæc; sed Beatus Pater Augu.lib.uno de baptismo dicit, quòd si quid erroris ibi Cyprianus tenuit, per suam passionem est remotũ. Hęc ille.

Et potest etiam excusari prædictus Cyprianus, quòd tunc adhuc hic articulus non erat ab uniuersali Ecclesia determinatus, nunc autem ex quo in Concil. Carthag. fuit determinatus, & decisus, qui si aliter sẽtiret, esset hęreticus. Et si prædictus Cyprianus tunc temporis non fuisset mortuus, & illi Concilio interfuisset, pro sua eximia humilitate, & pacis desiderio in sententiã patrum uenisset, vt Aug. inquit, relatus per Sot. 4. sen. dist. 1. q. 5. art. 5.

Exa. Absit igitur ut dictus Cyprianus, vllo unquam fuerit tempore seu hæreticus

ricus existimatus: nam sua ætate non erat ille error ab Ecclesia condemnatus: sed quæro, vtrum sicut hæretici, & excommunicati, ita etiam & mali ministri, puta qui sunt in peccato mortali, conferant uera Sacramenta?

le. Respondeo secundum omnes doctores ꝙ sic, & opposita assertio est hęretica, vt in Conc. Trid. diffinitur, cuius verba sunt hęc. Si quis dixerit, ministrũ in peccato mortali existentem modo oĩa essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendũ, aut conferendum pertinent, seruauerit, nõ conficere, aut conferre Sacramẽtum, anathema sit. Hęc ibi. sess. 7. de Sacramentis canon. 12.

Peccant tamen ministri si Sacramenta in mortali conficiunt, vel alijs ministrãt: tamẽ uera sunt Sacramẽta modò intendant facere q̃ Ecclesia facit vt dictum est, ex S. Th. 4. sen. dist. 5. q. 2. ar. 2. & dist. 24. q. 1. ar. 3. q. 5. & 3. par. q. 64. ar. 5. & 6. & S. An. Caie. Nau. & alij.

Sed quęro utrum ſi quis miniſtret, uel conficiat Sacramenta, nõ exiſtens in mortali, ſed tantum habeat conſciẽtiam alicuius mortalis criminis, num peccat mortaliter, ſi ſine præuia confeſſione, & contritione conficiat, uel miniſtret Sacramenta?

Cle. De Sacramento Euchariſtiæ non eſt dubitandum, quòd peccat mortaliter miniſter, dum ſine præuia confeſſione habens conſcientiam alicuius mortalis celebrat, & contraria aſſertio eſt hæretica. In Concil. Trident. ſic diffinitur. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium dicere,

re, prædicare, uel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defende re præſumpſerit, eo ipſo excommuni catus exiſtat. Hæc ibi, seſſ. 13. de Eu-chariſt. cap. 7. & cano. 2.

Et hanc eandem ſententiam firmi ter tenuere alij ferè omnes Catholici.

De alijs autem Sacramentis, dico, quòd ſufficit, quòd quis non ſit in mor tali, & ſufficit contritio, & uotum con fitẽdi tempore ſuo. Nam Doctores lo quuntur de miniſtris exiſtentibus in mortali, & Sacramenta mini ſtranti-bus uel cõficientibus. Qui autem con tritus eſt, non dicitur eſſe in mortali, etiam quod non ſit confeſſus, ut bene Nau. cap. 1. §. 33. Armilla. Sacra. §. 3.

Et quia in prædicto Conci. ſolũ fit mẽtio de ſuſcipientibus, uel conficien tibus Sacramentũ Euchariſtiæ, & nõ de alijs Sacramẽtis, ideo non eſt exten dendũ hoc præceptum de Cõfeſſione actuali, niſi pro ſuſceptione, vel confe

ctione talis Sacramenti, & non pr
alijs, in quibus sufficit, quòd homo n
sit in mortali, sed habeat saltem attri
tionem, qua se probabiliter cōtritum
esse credat, ut bene Nau. cap. 22. §. 3

Exa. Quid si existentes in mortali, min
strent, vel conficiant Sacramēta ex n
cessitate, puta in articulo mortis, nun
peccāt mortaliter, an excusantur pro
pter dictam necessitatem?

Cle. Dicunt Doctores, ꝙ subita necess
tas ministrandi Sacramēta nō excus
à mortali ministros existētes in mor
li, quia etiā in isto instanti necessitati
minister debet, & potest pœnitere
peccato, et licitè ministrare Sacramēt
potest .n. generalem suorū peccato
cōtritionem habere, ꝙ puncto tēpo
pstari potest. Quare Sacerdos admi
straturus Sacramentū aliquod, qua
tūlibet imparatus inueniatur, debi
de oībus suis peccatis mortalibus c
tritionem habere pōt, vel attritione

qua

qua ſe probabiliter contritum eſſe cre dat. Et quãuis ad alia Sacramenta hoc ſatis ſit (ut dictum eſt) ad celebrationem; tamen vel receptionem Euchariſtiæ, præter contritionem, confeſſio peccati requiritur, ut diximus.

Dico igitur ſemper mortaliter peccare miniſtrum, ſi exiſtens in mortali, quodcunq; Sacramentũ ſolemniter, & quaſi ſuo vtens officio, in peccato mortali conficiat, vel miniſtret, etiam quod ex neceſſitate hoc faciat, ut omnes dicunt, præcipuè S. Tho. 4. ſen. diſt. 5. q. 2. art. 2. q. 4. ad 4. & d. 24. q. 1. ar. 3. q. 5. ad 1. & 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. & Caiet. ibi. du. 3. & Nau. c. 22. §. 3.

xa. Cur appoſuiſti illã clauſulã, uidelicet, ſi ſolẽniter, & quaſi utens officio ſuo? nã ſi miniſtrat ſine ſolẽnitate exiſtẽs ĩ mortali, excuſabit̃ a letali culpa.

le. Ideo dixi ſi ſolẽniter miniſtret, &c. quia in aliqua neceſſitate, non peccaret baptizando in caſu, in quo etiam

posset laicus baptizare: sic enim no
exhiberet se ministrũ Ecclesię: sed su
ueniret necessitatem patienti: itaqu
existens in mortali, si sine solemnita-
te, & non tanquàm minister Ecclesi
in articulo necessitatis baptizet, no
peccat: sed nõ est ita de alijs sacramen
tis, quæ non sunt tantæ necessitatis: i
his enim nũquàm licet ministrare exi
stenti in mortali, quia non potest mi-
nistrare in eis tanquàm non vtens off
cio suo, & sine solemnitate; sicut po-
test facere in Sacramento Baptismi, s
ne tamen solemnitate. Vt bene S. Th.
4. sent. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. & 3. par-
te q. 64. art. 6. & S. Ant. 3. parte tit. 14.
cap. 13. §. 4. & Caieta. 3. parte q. 64. ar.
6. in resp. ad 3. dubium. & Sot. 4. dist.
1. q. 5. art. 6.

Exa. Sed quæro, utrum sicut existens in
mortali, & conficiens, uel ministrans
Sacramentum aliquod peccat morta-
liter, ita etiam mortaliter peccet si sa-

cra

cra tangat, puta si hostiā cōsecratam, vel sacras uestes, & huiusmodi tangat?

...le. Dico quòd mortaliter peccat, si hoc tanquam utens officio suo faciat: non autem peccat, si ex necessitate eas tangat, vt laicus non ordinatus posset, ut si leuet Sacramentum e terra, sicut nec peccat si osculo hostiam consecratam tangat, uel si corpus Christi humiliter & reuerenter uideat, ut fit quando in missa, & huiusmodi eleuatur, aut populo ostenditur adorādum etiā quòd in mortali quis existat. Et quod dictū est de ministris, idem dicendum de alijs: etiam pueris laicis; uidelicet illos non peccare, si ex necessitate tangant, uel reuerenter uideant, & adorent corpus Christi etiam in mortali existentes, ut bene ex S. Tho. 4. dist. 9. quæst. 1. art. 3. quæst. 6. & dist. 24. quæst. 1. art. 2. q. 5. ad 4. & ex alijs.

...xa. Vtrum sicut peccant mortaliter sacerdotes, conficiendo, uel ministran-

do Sacramentum in mortali existentes, ita etiam alij ministri altaris, puta diaconi, uel Subdiaconi, si in mortali existentes suscepto ordine vtantur?

Cle. Videtur affirmatiuè respondendũ esse, nam S. Tho. mouet dubium, & partem affirmatiuam sequitur. inquit enim, uidetur quòd aliquis in peccato existens, possit sine peccato ordine suscepto uti: quia si utendo ordine suo peccaret, sequeretur quòd quilibet actus ordinis, quem faceret esset peccatum mortale, & ita cũ in vna executione ordinis multi actus concurrant, uidetur, quòd multa peccata cõmittat, quod ualde durũ videtur. Ad quod dubium ipse respondet sic, quòd lex præcipit, ut homo iustè ea, quę sunt iusta exequatur: & ideo quicunque homo, q sibi competit ex ordine, facit indignè, quod iustum est iniustè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicun
que

que autē cū peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, nō eſt dubium, quin indignè illud faciat, unde patet, ꝙ mortaliter peccet. Quandocunq; ergo quis exhibet ſe in aliquo actu, vt miniſtrum Eccleſię, mortaliter peccat; & toties, & quoties huiuſmodi actum facit, quia, vt dicit Dionyſius. c. 10. de cęleſti Hier. Immūdis, nec Symbola, i. Sacramentalia ſigna tãgere fas eſt; vnde quando tangunt res ſacras, quaſi ſuo officio utentes, peccant mortaliter. Hæc ille 4. diſt. 24. q. 1. ar. 3. q. 5. in cor. & ad 4. Ex quibus verbis apparet idem iudicium eſſe de ſacerdotibus, & alijs altaris miniſtris, cùm hic S. Thom. indiſtinctè loquatur, de ordinatis, non deſcendendo ad particularem miniſtrum ſacerdotem.

Et ita etiam ſentire videntur Caietanus in opus. Tom. 3. q. de uſu ſpiritual. & in ſecun. ſecun. q. 187. art. 1. & in 3. parte. q. 64. art. 6.

Verùm

Verum Sotus oppoſitũ tenere videtur, ait enim ſic. Quo circa dubiũ eſt, de Diacono, & Subdiacono in Sacramento altaris miniſtrantibus, nã ex una parte apparet eſſe mortale, ſi in peccato adminiſtrent: confertur nanque eis, dum ordinãtur, gratia, vt dignè adminiſtrent. Quare (vt ſupra diximus) obligatio inde reſultat dignè adminiſtrandi. Ex altera verò parte, durũ profectò apparet, illos tam acriter condẽnare. Ad hoc in primis reſpondetur, ꝙ cantare in peccato epiſtolã in Eccleſia etiam publicè ei qui non eſt Subdiaconus, nullum eſt peccatum: mos enim eſt Sacriſtarum.

De Diacono autem, & Subdiacono, ubi ſolenniter adminiſtrant, qui dixerit propter argumentum factum, peccare mortaliter, nihil affirmabit quod ſit improbabile.

At uerò lubentius dicerem non eſſe mortale, nam & ſi gratiam ad hoc

reci-

recipiant, tamen imperfectio actionis admonere videtur, nõ esse tam strictã obligationem, quàm in sacerdote, si quidem per illam lectionem Euangelij, & suam administrationem, nullam operantur sanctitatem, nisi (ut dictum est) imperfectè, Hęc ille 4. sen. d. 1. q. 5. ar. 6.

Exa. Quam opinionem sequeris?

Cle. Sequor primam, cum sit cõformis Doctrinæ S. Thomæ, tum etiam quia scriptura dicit, Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter. Hier. cap. 48. Qui enim a Deo maledictus est, utique pro mortali, est maledictus. Qui autem in mortali opera Domini exercet, fraudulenter, & negligenter se habet, ergo &c.

Exa. Et ita etiam ipse sentio. Sed dicito nobis, num sicut mortaliter peccant, in mortali ministrantes Sacramenta, ita mortaliter peccẽt ministrantes verbum Dei in mortali, adeò, quòd sicut

cut illi, ita isti rei sint lętalis culpę si prę”dicant in mortali.

Cle. Doctissi. Caieta. huic dubio respondens inquit. prædicare in peccato mortali, esse mortale propter iniuriã, quæ fit prædicationi, iuxta illud Psal. 49. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Existimasti iniquè, quòd ero tui similis, quasi bona iubens, & mala faciens? Arguam te, & statuam contra faciem tuam, idest te ipsum tuis proponam oculis, vt in te cernas, utrum tua prædicatio tuis sit moribus congruens. Et Pau. ad Rom. 2. Qui prędicas non furandum furaris. &c. Hæc ille in Summa. Verbo, Pręd. peccata.

At verò (vt Sot. iniquit) hoc moderamine ipse Caie. suam sententiam mitigat, vt intelligatur, dum prędicator prædicat studio, & animo prædicandi indignè: nam si cum tremore, & reuerentia malens prædicare dignè officium

cium exercet, non eſſet (inquit) peccatum mortale. Hæc Caieta. ubi ſupra. in Sum. Verbo, prædicatorum peccata. Et idem videtur dicere in ſuis quoli. tom. 3. quęſt. de vſu ſpiritualiũ, ubi ſic inquit. Cum hoc tamen ſtat, ꝙ fortè prędicare ex officio (ſicut Epiſcopus prædicat) cum ſolemnitate ſit mortale, ſicut Baptizare ex officio. Hęc ille.

Ex quibus omnibus elicitur quòd ſecundùm mentem iſtius Doctiſſimi uiri, ille prędicator mortaliter peccat, qui exiſtens in mortali prædicat ex officio, ut eſt Epiſcopus, cuius prædicationis munus præcipuum eſt, iuxta Concil. Trident. decret. cap. 4. ſeſſ. 14.

Vel ille, qui in mortali exiſtens, ſic indignè prędicat, ut prędicatione tanquàm declamatione abutatur, uel prędicationem contemnit.

Qui autem licèt ſit indignus, uellet tamen eſſe dignus, & mundus ad prædicandum, & non prædicat indignè

quia

quia indignè uellet prædicare, ſed hoc ex fragilitate humana facit, non peccat mortaliter, ſi abſit contemptus. Et hanc opinionem etiam ſequitur Sum. Armilla. Verb. Prædicatores. §. 2.

Notandum tamen, quòd Nauarrus c. 25. §. 141. ait Caietanum tenere, ꝙ prædicator mortaliter peccat, ſi aduertens ſe eſſe in peccato mortali, & ante iuſtam contritionem concionatur.

Et ſubdit, quòd prædictus Caiet. illam opinionem (quam ſupra iam recitauimus) quam tenuit in ſuis quolibetis tom. 3. de uſu ſpiritualium rerũ, & in ſummula verbo. præd. peccata, poſtea retractauerit tam in 2. 2. q. 187. ar. 1. quàm in 3. p. q. 64. art. 6.

Cle. Sed re uera vir iſte alioqui doctiſſi. in hoc deceptus eſt: credidit nanque Caietanum ipſum primò edidiſſe ſummulam caſuum conſciẽtiæ, & ultimo loco commentaria ſuper ſummam S. Tho. ſcripſiſſe; cum tamen oppoſitum

tum ſit uerum. Nam in 2.2.q.187.ar.1.& in 3.parte q.64.artic.6.mentionē facit,& allegat ſua quolibeta, ergo primò ipſa quolibeta compoſuit, quàm commentaria ſcripſit.

Sed ultimo loco ſummulam caſuū compilauit, vt uidere licet in fronte Epiſtolæ ipſius ſummulæ. Dicendum eſt igitur prædictum Caietan. primo tenuiſſe, & affirmaſſe in præallegatis locis, prædicatorem peccare mortaliter, ſi in mortali concionatur: & poſtea hanc ſuam rigidam ſententiam, ultimo loco, ſed in ipſa ſummula (ut dictum eſt) cum hoc moderamine mitigaſſe, uidelicet illum prædicatorem ſolum mortaliter peccare, qui in mortali exiſtens ſi prædicat, ut pręedicatione veluti declamatione abutatur. &c. ut ſupra.

Alij autem indiſtinctè, & abſolutè loquentes dicunt, prædicatorem mortaliter peccare, ſi in mortali prædicet.

Et

Et hanc opinionem ſequuntur S. Anto. 3.parte tit. 18.cap. 3.§.2.

Et Alexan. de Ale. relatus per Ang. quem ipſe ſequitur. uerbo prędicare. §.7.& Nauar.cap.25.§.141.

Sunt, & qui diſtinguentes de peccatore dicunt, quòd peccator, uel eſt publicus, uel occultus, & ſi ſit peccator publicus prædicare profectò non poſſet abſq; mortali crimine, nam tunc propter ſcandalum directè fructui prædicationis obſtat, iuxta verbum. Greg. in Paſtor. Neceſſe eſt, cuius uita deſpicitur, eius prædicatio contemnatur.

Et Ariſt. 10. Ethi. Dum ſermones (inquit) moribus diſſonant, contemnuntur, & veritatem interimunt.

Quando verò quis eſt occultus peccator, quòd nullum ſiniſtrum dedit exemplum, & tunc maximè quando ex officio incumbit, nõ eſſe peccatum cum timore, & reuerentia prædicare; nam poſſet ſua prędicatio eſſe fructuoſa:

ſa: contemptus uerò ſemper eſt mortalis. Vt ſi quis tam imprudenter prædicationem uilipenderet, ut indignũ non putaret illam in peccato exercere. Hæc Sot. 4. ſen. diſt. 1. q. 5. art. 6.

Exa. Quam opinionem ſequeris?

Cle. Sequor hanc vltimam tanquàm ueriorem: quæ tamen parum ab illa Caiet. poſitione differrè uidetur, nec à diu. Tho. doctrina diſſentit, qui ſic inquit. Illi qui ſunt in grauibus peccatis, non debẽt iudicare eos qui ſunt in eiſdem peccatis, uel minoribus. & præcipuè hoc eſt intelligendum quando peccata illa ſunt publica, quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum: ſi autem non ſunt publica, ſed occulta, & neceſſitas iudicandi immineat propter officium: poteſt cum humilitate, & timore, uel arguere, uel iudicare. Hæc ille, ſecun. ſecun. q. 60. art. 2. ad 3.

Ex quibus uerbis elicitur, quòd li-

cet prædicare, & arguere prædicatori in mortali exiſtenti, modo peccatum non ſit publicum, & id cum humilitate, & timore faciat.

Exa. Hanc etiam opinionem amplector, & ipſe, ſed unum reſtat dubium & quidem ad hominem non diſſimulandum, uidetur enim diuus Tho. ſibi ipſi contrarius, nempe in 4. ſen. diſt. 19. q. 2. art. 2. q. 2. tenet q iudex eccleſiaſticus, in peccato mortali exiſtens, etiam occulto, peccat alios iudicans: & ratio eius ibi eſt, quia indignè vtitur officio prælationis. Hic autem (ut dixiſti) in ſecun. ſecun. oppoſitum dicere videtur, dum inquit (indiſtinctè de iudice loquens) quòd ſi propter officium tenetur iudicare peccator, poteſt iudicare cum humilitate abſque quòd incurrat nouam damnationis cauſam. Hæc igitur ſibi inuicem aduerſantur?

Cle. Ad hoc dicitur, quòd diuus Th. in ſententijs aliorum opinionem ſequu-

tus

tus illa dixit, quæ poſtmodum in ſum ma, quę vltimum ſuum fuit teſtamen tum, correxit. Et ideo non ſibi contra rius: nam in ſententijs iuxta aliorum opinionem, in ſumma uerò, iuxta pro priam ſententiam eſt loquutus. ita re- ſpondet Caiet. ſecun. ſecun. q. 60. ar. 2. & Sum. Tabien. uerbo correctio. §. 5.

a. Bona reconciliatio, ſed quæro utrũ prælatus in mortali exiſtens, poſſit ſi- ne peccato ſuum exercere officium?

r. Ad hoc ſimpliciter dicendum, de mente D. Thomæ, quòd iudex ſeu prę latus ſpiritualis utens officio in his quę non ſunt ordinis ſed iuriſdictionis, q̃- uis ſit in peccato mortali, non peccat ſaltem mortaliter per ſe loquendo, id- eſt niſi ratione ſcandali: & rõ eſt, quia macula peccati mortalis non contra- riatur rectitudini requiſitæ ad iudiciũ, ad tribuendum alteri ius ſuum, & au- thoritati iuriſdictionis: ſtant enim hęc omnia cum peccato mortali ut patet

de infidelibus. ipſi enim miniſtrando iuſtitiam, & exercentes iudicia non peccant de nouo. Et ita intelligenda ſunt dicta diui Thomę ubicunque loquitur de hac materia, videlicet, quòd actus, qui ſunt alicuius ordinis, requirunt ſaltem contritionem, alias peccant mortaliter, in alijs autem non, ēt ſi eſſent iuriſdictionis niſi ratione ſcādali, ut dictū eſt. Hæc ex Caie. 2. 2. q. 60. ar. 1. & Sum. Tab. correct. §. 5. ult.

Exa. Optimè reſponſum eſt, ſed iam ad rem noſtram redeamus, quæro igitur ſicut mortaliter peccant exiſtentes in mortali, & ſacra conficientes, vel miniſtrantes, ita ſimili ſe culpa conuoluant, qui ab huiuſmodi nequam miniſtris Sacramenta ſuſcipiunt, & eſt dictu, vtrum liceat à malis miniſtris Sacramenta recipere?

Cle. Dico quòd licet à malis miniſtris Sacramenta recipere, modo ipſi ſint ab Eccleſia tollerati: puta quòd non

nominatim, uel notoriè excõicati, uel non ſint degradati, & ſuſpenſi, nec publicè clericum percuſſerint.

Si autem ipſi mali miniſtri non tollerentur ab Eccleſia, ſed ſint vel degradati, uel ſuſpenſi, uel excõicati, nõ licèt ab eis Sacramenta ſuſcipere, imò eſſet peccatum. Hæc ex S. Tho. & etiam Caiet. 3. p. q. 64. ar 6. ad 2. & ar. 9. ad 3. & 4. ſen. diſt. 5. q. 2. ar. 2. q. 5. Riccar. 4. ſent. diſt. 13. ar. 1. q. 4.

Exa. Quid ſi aliquis eſſet in extrema neceſſitate, puta eſſet in articulo mortis, poſſet ne Sacramenta ſuſcipere ab aliquo miniſtro degradato, uel præciſo, aut publicè ſeu notoriè excommunicato, & huiuſmodi?

Cle. Poſſet ſuſcipere in tali caſu, ſolum Sacramentum baptiſmi, non autem alia Sacramenta. Vnde Adria. refert Chryſoſtomum (ut allegatur, inquit in libro Canon. pœnitentialium) in hæc uerba. Si qui infirmitate detentus

morti appropinquauerit, & ſacerdos, uel clericus defuerit, tunc ab alio, In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti baptizari poterit: pœnitentia autẽ, & communio à nullo ſuſcipien da eſt, niſi à Catholico. Hæc ille. Et hanc opinionem ſequuntur D. Th. 4. ſent. diſt. 5. q. 2. ar. 2. q. 5. & diſt. 6. q. 1. ar. 3. q. 3. & 3. p. q. 82. ar. 7. & ad 2. Caiet. 3. par. q. 64. ar. 6. Sum. Confeſſ. lib. 3. tit. 24. q. 8. Sot. 4. diſt. 1. q. 5. art. 6. Sylu. Eucha. 3. §. 5.

Et quod dictum eſt, de excommunicato nominatim & de ſuſpenſo, & interdicto, dicendum eſt de concubinario notorio, uidelicet illo, qui per ſententiam, uel confeſſionem in iudicio factam, uel euidentiam rei, quæ nulla tergiuerſatione celari poteſt, ab huiuſmodi enim miniſtro non licet Sacramenta ſuſcipere, excepto Baptiſmo, & communione tempore neceſſitatis iuxta mentem Naua. cap. 22. §. 4.

&

& Summa Confeſſ. lib. 3. tit. 24. q. 8. & Syluestri. clericus 2. §. 4. & Euch. 3. §. 5. & Sacra. §. 1.

Sed hæc opinio non uidetur uera, quoad receptionem communionis, cum in nullo caſu liceat ab huiuſmodi communionem ſuſcipere, ſed ſolum Baptiſmum, ut ſupra præcedenti §. 50. dictum eſt.

Eſt etiam contra S. Thomam, ut licèt videre 4. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 3. q. 3. & allegatur etiam à Summa Confeſſorum lib. 3. ti. 24. q. 8.

Exa. Sed quæritur: Si quis in conſcientia, vel alio ſecreto modo ſciat miniſtrum eſſe degradatum, uel hæreticum, uel excommunicatum, & huiuſmodi, & hoc non ſit notum apud alios, utrum poſſit ſine peccato ab eo Sacramenta ſuſcipere?

Cle. Quia ſuperius ſolum miniſtri excõicati nominatim, & publicè clericos percutientes excluduntur, non au

tem occulti, & tolerari: apparet licitè posse Sacramenta recipi ab excommunicato occulto, & solum à suscipiente illa noto, ut Nau. c. 9. §. 7. Verum ipse nulli consulerem (nisi in extrema necessitate) ut à nequam ministro, uel excommunicato etiam occultiss. Sacramenta perciperet, modo melioris ministri copia adesset.

De ministro verò hæretico, & occulto idem dico. Sed si esset periculum auersionis, siue peruersionis à fide, nullo modo ab eo Sacramenta recipienda esse teneo. Secus autem in necessitatis articulo, & dum quis sibi non timet, puta si scit se firmum in fide, & nullius persuasu posse moueri.

A degradatis verò qui in perpetuũ prçcisi sunt, nec ab alijs, qui per publicam sententiam sunt suspensi, nec ab irregularibus etiam, quò ad Ecclesia tollerentur, & non sint publicè denunciati, Sacramenta percipere per-

missum

missum est, seu cum eis in Sacramentis participare conceditur, quoniam Concilium Constantiense (ex cuius decreto nunc euitare non tenemur, nisi solum nominatim excommunicatos, & publicos clericorum percussores) solum permittit communicationem cum ijs, qui non acriori censura tenentur, quàm excommunicatione, ut bene notat Sotus 4. dist. 1. q. 5. art. 6.

xa. Sed dubito, quomodo liceat à malo ministro, seu ab excommunicato etiam occulto, Sacramenta percipere, cum non liceat aliquem ad peccandum inducere? profectò qui Sacramenta à malis ministris recipit, illos ad peccandum inducere uidetur, quandoquidem nequit sine mortali excommunicatus, uel in mortali existens, Sacramenta conficere, uel alijs ministrare.

e. Aliud est Sacramenta à malis ministris

ſtris recipere, & aliud eſt illos admi-
niſtrandum Sacramenta inducere, ut
bene Caie. inquit. Primum namque ſi
ne mortali licet (modo ſint occulti, &
tollerati, ut diximus.)

Secundùm uerò non ſemper licet,
nec tamen per hoc, quòd quis inducit
malum miniſtrum ad Sacramenta cō
ficienda, uel miniſtrāda, dicitur ipſum
ad peccandum inducere (ut dicetur.)

Sit igitur prima concluſio, quæ vni
uerſis eſt citra controuerſiam aſſertiſ-
ſima.

A quocunque Sacramentorum mi
niſtro nequam, ſeu etiam per ſimpli-
cem excommunicationem præciſo (ſi
non fuerit nominatim excomunica-
tus, aut manifeſtus percuſſor clerico-
rum, ſed ab Eccleſia tolleratus) dum-
modo ſit paratus Sacramentum mini
ſtrare, licet cuicunque illud ſuſcipere,
ſiue in neceſſitate ſiue extra, ſi modo
ex officio, aut priuilegio poſſit illud mi
niſtra-

niſtrare, nam niſi uel prælatus ſit, uel delegatus, nemo poteſt (ut ſuo loco diffuſius dicetur) extra mortis articulum Sacramenta exhibere. Itaq; dum dicitur quòd quis poteſt à malo miniſtro Sacramenta recipere, intelligitur de miniſtro iam parato adminiſtrandum illa, & non aliter, & hoc modo Sacramenta à miniſtro nequam recipiens, non inducit ipſum ad peccandum. Qui enim ſic ſuſcipit Sacramentum nullo modo cooperatur peccato alterius: ſolum enim ille dicitur cooperari alteri, qui eius peccati cauſa eſt, in hoc autem caſu, cum conferens ſit paratiſſimus, & ſuſcipiens nullatenus eũ moueat, fit vt neque eius peccati ſimul cauſa ſit. Eo potiſſimè, quòd non poſtulat, ut alter peccet, ſed vt Sacramentum det, quod poteſt reſipiſcendo iuſtè facere.

Exempli gratia, licet mihi ex vi alicuius Iubilei, vel priuilegij ſeu gratiæ, & hu-

& huiuſmodi, quem maluero confeſſarium eligere; ſunt plures ad audiendas confeſſiones ſedentes, quorum Petrum ego ſcio in concubinatu uiuere, tunc quamuis poſſim eligere alium probum, licèt etiam mihi eligere Petrum, Imò verò ſi ille eſt doctior, qui ſapientius valeat meam conſcientiam diſcutere, conſultius fecero, ſi eum præ alijs elegero.

Verùm eſt, quòd ſi in cæteris omnes ſint pares, nonnulla culpa erit illum præoptare, nunquam tamen erit mortalis, niſi forſan tam eſſet publicus peccator, ut mea eiuſmodi confeſſio ſcandalum offerret populo.

Et quòd dictum eſt de parato miniſtro ad audiendas confeſſiones, extendendum eſt ad miniſtrum iam paratum ad alia Sacramenta miniſtranda, ut ſi actu alios communicaret, uel Chriſmaret, & hùiuſmodi. Hæc ex Soto. 4. diſt. 1. q. 5. ar. 6. Caiet. 3. par.

q. 64.

quæſt. 64. art. 6. Naua. cap. 9. §. 7.

Secunda concluſio ſit. Nemini licèt eiuſmodi improbum miniſtrum non paratum, neque offerentem Sacramentum ad id inducere, niſi, uel petentem neceſſitas cogat, uel exhibentem officium obliget.

Et ratio eſt, quia quempiam in peccatum inducere, peccatum eſt, eò quòd ſit cauſam dare peccandi.

Itaque tunc licebit eum quem ſcio indignè adminiſtraturum Sacramentum inducere, quando ipſe eſt meus prælatus, vel, ſi non eſt meus prelatus, ego tamen ſum in neceſſitate Sacramenti cõſtitus. In his igitur duob. caſibus tantùm, licèt miniſtrũ nequã inducere adminiſtrandum Sacramentum, ſed in articulo neceſſitatis, & quando miniſter eſt meus prelatus, tunc licèt eum inducere, etiam extra neceſsitatis articulum ad Sacramenta miniſtranda, nec per hoc qui talem

lem ministrum, seu prelatum inducit, dicitur alium ad peccatum inducere, quia non est propriè inducere ad malum, sed inducere ad id, quod ius est petentis: quod quidem alter facere tenetur, atque adeo bene facere, quare si non vult se in gratiam Dei recipere, ut id faciat, sua erit culpa.

Sed extra hos duos casus nulli licèt malum ministrum administrandum Sacramentum inducere, ut ex S. Th. & ex alijs.

Exa. Quare in his duobus casibus licèt sine peccato ministrum malum ad administratioñe Sacramenti inducere.

Cle. Quia in his duobus casibus homo utitur iure suo inducendo malum ministrum ad Sacramentum ministrandum, & qui suo iure utitur nulli iniuriam facit, inde est, quòd licitè facit, ergo sine peccato facit.

Quòd autem in his duobus casibus qui suo vtatur iure, patet expressè.

Quip-

Quippe dum quis extremæ ſubeſt ne ceſſitati, unuſquiſque ei (ſi poteſt) tene tur opem ferrè, atque adeò id petens ius habet unum quemlibet inducendi ad adminiſtrandũ Sacramentum.

Inſuper prçlatus meus, etiam extra neceſſitatem tenetur mihi niſi ab Eccleſia cohibitus ſit, quoties petiero, Sacramentum miniſtrare; ergo dum peto, & induco, & cogo, meo vtor iure, qui autem (ut dixi) vtitur iure ſuo, nemini iniuriam facit, ergo licitum eſt petere.

Sed extra hos duos caſus non licet id facere, nam tunc non habeo ius inducendi ad collationem Sacramenti. Hæc & ex Caiet. 3. parte q. 64. art. 6. & Soto 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6.

Sed S. Tho. inquit, quòd non eſt tutum præter neceſſitatis articulum talem prçlatum ad hoc inducere. Hçc ille 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 3. & ita teneo ego, quòd non liceat etiam

præ-

prælatum inducere administrationem Sacramenti, nisi ex iusta causa, sed alios ministros non nisi in extrema necessitate.

Exa. Bona est solutio. Sed vtrùm solùm necessitas implendi pręceptum Ecclesiæ etiam citra articulum mortis, faciat sibi ius inducendi peccatorẽ non paratum, ut ei ministret Sacramentum? Puta exempli gratia, sub articulum Paschatis confiteri teneor, habeo indulgentiarum gratiam, ut possim eligere confessorium, utrùm possim inducere non paratum?

Cle. Respondeo, quòd si sit meus prælatus possum quidem, quia cum ipse teneatur, ius habeo illum urgendi, Aliũ verò ministrum minimè, nam licèt priuilegium mihi facultatem faciat quemlibet eligendi, nemo tamen, qui meus non est prælatus tenetur meam audire confessionem: quare ego non habeo ius compellendi, atq;

adeo

adeo nec inducendi, ſed ſolùm in extrema neceſſitate mortis; quia cum confeſſio, & abſolutio hominem poſſit facere ex attrito contritum, periculum eſt, ac perinde, ubi Sacerdotis copia haberi pōt, nephariũ crimen abſque Sacramento abſolutionis de uita decedere, & multo æquius Sacramentum Baptiſmi in extrema neceſſitate, à quocunq; quantũ uis peccatore exigitur, ut doctè Sot. 4. diſt. 1. q. 5. ar. 6.

xa. Bene reſponſum, ſed hinc dubium emergit, utrum eiuſmodi excommunicatum non nominatim liceret perinde inducere, ac ſi non eſſet præciſus in duobus ſuperioribus caſibus, ſed, uel quo eſſet inducentis prȩlatus, uel quo inducens eſſet in extrema neceſſitate Sacramenti? Et ambiguitatis ratio eſt, ꝙ qui non eſt excommunicatus per ſolam animi contritionem, licitè poteſt conferre Sacramentum ad quod inducitur. Si autem ſit ex-

L com-

communicatus, quamuis non nominatim, etiam si sit in gratia, non potest iustè id perficere, antequam absoluatur ab Ecclesia; quare alter inducit eum ad id, quod sine culpa facere nequit, quod apparet nefas, eò præsertim, quòd in dicto Concilij decreto (de quo supra) subditur. Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos in aliquo reuelare; aut eis quo modolibet suffragari, propter quod uerbum Adrianus in quæst. de Baptis. ar. 3. in 2. argumen. ad oppositum tenet, huiusmodi excommunicatos ministrando Sacramenta peccare, quamuis alij licitè eadem ab illis recipiant. Paluden. autem in 4. distin. 5. q. 2. ait excommunicatum in extrema necessitate, baptizando, non peccare propter necessitatem illius Sacramenti, de cæteris autem tacet.

Cle. Ad hoc dubium respondetur, quòd licèt in extrema necessitate Sacramenti

ti inducere quemcunque etiam excõmunicatum non nominatim, nec clericorum percussorem, & pariter licèt eiusmodi prælatum excommunicatum, non tamen nominatim, etiam extra necessitatem ad Sacramenti collationem inducere, absque peccato. Et ad rationem in contrarium, quibus concluditur ipsos ministros peccare dicimus, quòd huiusmodi excommunicati ministrantes Sacramenta in supradictis casibus, quibus petens habet ius petendi, & inducendi, nempe quia eius prælatus, vel Parœcianus est, uel in extrema necessitate Sacramenti inuenitur: si modo per internum animi motum contẽrantur, nulla inficiuntur culpa in excommunicatione, ministrando Sacramenta.

Si enim mihi licèt in huiusmodi casibus excommunicatos inducere ad administrationem Sacramenti, er-

go & licitum erit eis, & illud miniſtrare. Nimis quippe rigidum eſt, hominem compellere, qui non poſſit ab excommunicatione abſolui, ac perinde (ut Adrianus putat) nec ſine peccato miniſtrare, & quòd ſcilicet excommunicatos tolleratos inducere ſine peccato, liceat etiam, & eis in ſupradictis caſibus miniſtrare: ex ſupradicto Concilio Conſtantien. colligitur.

Cùm enim conſulendo timoratis conſcientijs in bonum petentium cõceſſit illam communicationem cum excommunicatis, ex rei conſequentia conceſſit ipſis excommunicatis, ut Sacramenta præberent, quando aliàs tenerentur. Alioquin non ſatis fuiſſet petentibus conſultum, nam tunc illi miniſtri perplexitate complicarentur, vtrinque ſcilicet, ſiue Sacramenta præberent, ſiue ſecus, peccatum timentes. Imò poſſent ſe iuſtè defendere, allegãtes ſe non poſſe id facere ſine ſcelere, quod

quod nulla prorſus de cauſa vlli fas eſt, committere.

Quòd ergo continuò in Concilio allegato ſubnectitur. Non intendimus eos tamen releuare, &c. eatenus intelligitur, quòd illi excommunicati, nec poſſunt ſuſcipere Sacramenta, nec ad ea conferenda ſeſe ingerere, niſi iure compulſi.

Quare, ſi non ſint prælati aut petens in extrema neceſſitate, nullo modo, nec à quouis requiſiti debent Sacramenta adminiſtrare. Neque uerò in hiſce caſibus excuſantur, niſi per contritionē apud Deum emendati; quoniam miniſtrare in peccato, extra neceſſitatem Baptiſmi (ut ſupra) ſemper peccatum eſſet. Hæc Sot. 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6.

xa. Sed quæro utrum excommunicatus occultus poſſit ſacra facere ante ab ſolutionem, ſi habeat contritionem, & cum probabiliter eſt certum cre-

ditum, & infamatum iri, eum esse excommunicatum, nisi celebretur.

Cle. Respondetur affirmatiuè, modò non sit in mora petendi absolutionem, ut Nauar. cap. 27. §. 239.

Qui etiam tenet in tali casu nedum excommunicatum occultissimum posse sacrum facere, sed etiam cum alijs interesse choro, & huiusmodi, quando est positus in periculo infamiæ, nisi hęc faciat. Hæc ibidem.

Imò affirmat, quòd licèt facere sacrum post debitam contritionem, & confessionem ante dispensationem, ei qui occultissimè occidit alium, & probabiliter est certum creditum, & infamatum iri eum illud fecisse, nisi celebret; quia lex naturalis, & diuina de defendenda sua fama, præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate.

Et idem dicit de moniali incidente occultissimè in censuram Papalē,

uide-

uidelicet, ut ante moram petendi absolutionem possit communicare, quando aliæ ad id tenentur, & interesse choro, & alijs, à quibus si abstineret fama eius, & monasterij periclitaretur. Hæc ille cap. eodem 27. §. 239.

Exa. Satis dictum puto de ministris Sacramentorum; nunc restat uidere de suscipientibus ipsa Sacramenta, quæro igitur primò, utrum necessariò requiratur ex parte suscipientium aliquod Sacramentum, quod non sint in mortali?

Cle. Dico, quòd suscipientes aliquod Sacramentum in peccato mortali existentes, mortaliter peccant, unde dicunt Doctores, quòd peccat mortaliter, credens, aut credere debens se reum mortalis culpæ, aliquod Sacramentum suscipiens, nisi ita se credat attritum, quòd adiuncto Sacramenti calore fiat contritus, ex S. Th.

 4. dist.

4.dist. 24. q. 1.ar. 3. q. 1. Angelica Sacram. §. 10. Syl. Sacra. Nau.c. 22. §. 3.

Exa. Sed utrum sufficiat contritio tantùm, uel attritio ad suscipienda Sacramenta, vel etiam actualis cõfessio necessariò requiratur?

Cle. In susceptione Sacramenti Eucharistiæ necessariò requiritur actualis cõfessio, & non sufficit contritio, illi qui conscientiam peccati mortalis habet, in Concil. Triden. sesio. 13. de Euchar. cap. 7. & can. 11. & S. Th. 4. dist. 16. in expos. litteræ, & distin. 17. q. 3. art. 1. q. 5. & Sot. 4. dist. 12. q. 1. art. 4. Nau. cap. 21. §. 49. & omnis Theologorum ferè schola idem tenuit esse, ante Concil. Trid.

In susceptione autem aliorum Sacramentorum sufficit contritio, uel talis attritio, quæ adiuncto calore Sacramenti fiat attritio. Hoc est, dictu quod habens talem attritionem, & accedens ad Sacramentum, ex vi illius

ex at-

ex attrito fiat contritus. Quare autem in receptione aliorum Sacramentorum nõ requiritur actualis confeſsio, ſed ſufficiat ſolùm contritio, dici poteſt, quòd eſt, propter excellentiam ipſius Sacramenti, quod omnibus alijs eſt dignius, & ideo in recipiente illud requiritur maior, & dignior diſpoſitio, & præparatio, quàm requiratur per receptionẽ aliorum Sacramentorum. Item etiam, quia Eccleſia, & doctores omnes ſolùm mentionẽ faciunt. de confeſsione præmittenda pro Sacramento Euchariſtiæ, non autem pro alijs. Vnde D. Tho. inquit, quòd tunc ſolùm confeſsio eſt neceſſaria, quando ab Eccleſia eſt pręcepta, & quando quis eſt in articulo mortis, uel habet celebrare, uel communionem ſumere, ſi adſit copia confeſſoris, uel habet ſuſcipere ordinum ſacrum; quoniam ſimul habet communicare. ex Sancto Thom. 4. ſent.

dist. 17. q. 3. art. 1. q. 5. Et quoli. 1. q. 6. artic. 11. S. Anto. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 3.

Quamuis aliqui tenuerint, quòd etiam in receptione, uel administratione aliorum Sacramentorum non sufficiat sola contritio, sed sit necessaria etiam actualis confessio, ut refert S. Anto. & Tabien. loco supra citato. Sed hæc opinio communiter non tenetur, licèt laudabile sit, & tutius Sacramenta omnia recipere, & ministrare cum præuia confessione, quàm sola contritione; tamen ad hoc nullus de necessitate tenetur, ut diximus.

Quare aliquis quodcunque Sacramentum ministraturus, uel illud suscepturus, quãtumlibet imparatus inueniatur, debitam de omnibus suis peccatis mortalibus contritionem, vel attritionem habere debet, qua se probabiliter contritum esse credat: quod

quod quidem puncto temporis præstari poteſt.

Et hoc ſatis eſt quo ad adminiſtrationem, uel ſuſceptionem aliorum Sacramentorum; non tamen (ut diximus) ſufficit ad celebrationem, uel uel communionem, quia præter contritionem confeſsio peccati requiritur. ut bene monet Nauar. cap. 22. §. 3.

Exa. Sed quæro utrum in recipiente Sacramenta neceſſaria requiratur intentio ſuſcipiendi illa?

Cle. Dico, quòd neceſſariò requiritur intentio ex parte recipientis Sacramentum, ſed aliter requiritur in adulto, & aliter in paruulis, ut bene ponderat Sotus, in adulto nanque requiritur formalis intentio, qua in Sacramentum conſentiat; ſed in paruulis uſu rationis carentibus, ſufficit intentio interpretatiua, puta intentio parentum, uel Eccleſiæ, qui ex parte ipſo-

ipſorum in Sacramentum puta Bapti ſmi conſentiunt. Vnde Auguſtinus ſuper Ioan. 9. inquit, quòd ſicut pro paruulo reſpondent miniſtri Eccleſię: ita adultus debet reſpondere pro ſe. Hæc ille ergo ſicut paruulus interpretatiuam habet intentionem, ita adultus debet enim habere formalem. ut bene Sot. deducit. Itaque qui recipit aliquot Sacramentum, non intendens illud recipere nihi facit, nã neque gratiam conſequitur, nec characterem recipit: unde S. Thom. ſic inquit. Si in adulto deeſſet intentio recipiendi Sacramẽtum Baptiſmi, eſſet rebaptizandus. Hæc S. Thomas 4. ſenten. diſtin. 6. quæſtio. 1. arti. 2. quæſtio. 3. diſtin. 27. quęſt. 1. arti. 2. quæſtio. 4. & 3. parte quæſt. 68. artic. 7. in corp. & ad 2. & quæſt. 69. art. 9. & ferè, omnes Catholici.

Exa. Quid ſi aliquis neque aſſentiens, nec diſſentiens Sacramentũ aliquod, (puta

(puta Baptiſmi) reciperet ita, ut neuter ſe haberet, num Sacramentum verè reciperet.

Cle. Caietanus tenet, quòd intentio in baptizato, non ſit per ſe neceſſaria, ſed ſolùm per accidens in adulto, ad tollendam contrariam uoluntatem retinente Sacramento. Vnde inquit. Si fortè contingeret, vt homo neuter ad Baptiſmum accederet, hoc eſt nec conſentiens, nec diſſentiens, ſed negatiuè ſe habens, ille verè reciperet Sacramentum. Hęc ille. 3. par. quęſt. 68. artic. 7.

At hæc opinio (ut cum ueneratione loquamur) non eſt uera, nec tenenda imò per ſe requiritur intentio in adulto, & uoluntas, itaque ſi daretur quiſpiam nec aſſentiens, nec diſſentiens, non ſuſciperet Sacramentum. Hoc nanque probat ratio diui Thomæ 3. parte, quæſtione 68. artic. 7. Si enim ad inchoandam no-

uam

uam uitam requiritur voluntas abijciendi ueterem, à fortiori intentio capessendi nouam, atque adeo ad hunc finem suscipiendi Baptismum. Quoniam plus requiri uidetur ad inchoandam nouam uitam, quod est qui positiuum, quàm ad relinquendam ueterem, quod uidetur mera cessatio. Vt bene notauit Sot. 4. senten. dist. 5. q. 1. art. 7.

Apparet etiam supra dicta opinio Caiet. falsa, ex ritu Ecclesię, nam baptizandi (ut inquit Sanctus Thomas ubi supra) secundum ritum Ecclesiæ profitentur se petere ab Ecclesia baptismum. Per quod (inquit ipse) profitentur suam intentionem de susceptione Sacramenti.

Et S. Aug. lib. 4. de Bapt. cõtra Donatistas cap. 20. & refertur de cons. distin. 4. can. Cũ paruulis. Cum paruuli nec corde credere valeant, nec ore cõfiteri, alij pro eis respondent, ut impleа-

pleatur erga eos celebratio Sacramenti. At ſi pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, (nempe pro adulto non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum eſt, (Ioan. 9.) ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur. Vbi S. Auguſt. tanquam per ſe neceſſarium admonet, ut adultus per ſe Baptiſmum petat, dicens ſe uelle baptizari, ſuam explicando intentionem, & uoluntatem.

Et confirmantur hęc omnia, ex ſolutione argu. 2. diui Tho. 3. parte quęſtio. 68. ar. 7. quod eſt hoc. Vbi id prætermittitur, quod eſt de ſubſtantia Baptiſmi, iterandum eſt Sacramentum: ſi ergo intentio baptizati eſſet neceſſaria, cùm de illa alijs nō conſtet, quicunque petere poſsit, ut denuo baptizaretur, ad quod reſpondet ipſe dicens. Quòd ſi in adulto deeſſet intentio, rebaptizandus eſſet, & ſi de illo dubitaretur, baptizandus eſſet ſub cō

ditio-

ditione. Hęc ille. Quid igitur clericus ad docendum, quòd si daretur homo neuter non esset baptizatus?

Et demum. Hęc omnia confirmantur ex Concil. Carth. 3. cap. 34. quod refertur de consecr. dist. 4. can. Aegrotantes, ubi habetur, quod ęgrotantes, qui pro se respondere non possunt, cùm voluntas eorum testimonium sui dixerit, baptizentur.

Et ex Conc. Auraicen. cap. 12. ubi habetur, quòd subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si uoluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.

Vbi ostenditur, quòd sicut pœnitentia. Ita, ut Baptismus requirit uoluntatem suscipiendi.

Imò, & Sacramentum confirmationis, Ordinis, & Extremæ Vnctionis, intentionem suscipientis requirit. Hæc ex Sot. 4. dist. 5. q. 1. art. 7.

Firma

Firma ſententia igitur eſt, quòd qui non conſentit, nec diſſentit in receptione Sacramenti, nullum Sacramentum recipit: ſed requiritur neceſſariò eius uoluntas ad hoc, quòd Sacramentum teneat.

Si neceſſariò requiritur intentio, & uoluntas recipientis Sacramentum, ad hoc, quòd Sacramentum teneat; quid dicendum, ſi quis contra uoluntatem ſuam, (putà ob timorem mortis, & huiuſmodi) Sacramentum aliquod reciperet, num uerum Sacramentum ſuſciperet?

Ad hoc reſpondent Doctores dicentes, quòd ſi quis abſolutè in Baptiſmum uel in aliquod aliud Sacramentum conſentiret, quamuis conditionaliter metu mortis inuitus eſſet, Sacramentum verè ſuſciperet quantum ad characterem, & fidem mortuam, non autem gratiam. Vt ſi quis terroribus, ac ſupplicijs vehe-

menter perculſus, ut mortem euaderet, baptizari conſentiret, Chriſtianus fieret. Etenim (ut 3. Ethic. ait Ariſtot.) ille quanquam conditionaliter nolit, abſolutè tamen vult.

Vnde illud iuridicum emanauit, coacta uoluntas, uoluntas eſt, 15. q. 1. can. Meritò.

Sed ſi quis per uim, hoc eſt ſimpliciter inuitus baptizatur. Sacramentũ nullo modo recipit.

Simpliciter autem inuitus is dicitur, qui abſolutè diſſentit. Vt cum quis (vt inquit S. Tho.) reclamans immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum ſuſcipit, nec rem Sacramenti.

Secus autem eſt, (ut diximus) ſi ſit coactio inducens ſicut minis, uel flagellis, ita quòd baptizatus potius eligat baptiſmum ſuſcipere, quàm talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti.

Vnde

Vnde dicendum, quòd in adultis non requiritur uoluntas abſoluta ſuſcipiendi, quod Eccleſia confert; ſed ſufficit voluntas conditionata, ſicut eſt in voluntarijs mixtis, ut dicitur in 3. Ethico. Hæc ex decreto Innocen. cap. Maiores. & S. Tho. 4. ſent. diſt. 6. q. 1. art. 2. q. 3.

a. Hæc reſponſio, & ſi bona ſit, ingerit tamen aliquam difficultatem, quonam pacto ſcilicet, ſufficiat ad ſuſcipiendum Sacramentum baptiſmi uoluntas conditionata, puta ſi ob timorem, quis conſentiat, ut baptizetur; cum tamen Sacramentum matrimonij non teneat, ſi ex metu contrahatur, ergo non eſt verum, quod quis poſſit ſuſcipere uerum Sacramentum, etiam quòd ex metu illud ſuſcipiat?

e. Reſpondetur, diuerſam eſſe rationem. Quoniam matrimonium eſt contractus naturalis, & ciuilis, &

hac ratione ſi per iniuriam metū mortis celebretur, iure ipſo ciuili inualidus eſt.

Secus eſt, de Sacramento Baptiſmi, vel ordinis, & ſimilium, quòd cùm natura ipſorum Sacramentorum characterem imprimat, quomodocunque quis conſentiat iure diuino obligatur.

Quare qui Chriſtianus eſſe renuit, morti potius ſuccūbere debet, quàm ſe ſinere baptizari, ne illam irroget baptiſmo iniuriam, atque idem dicendum de Sacramento ordinis; ex Sot. 4. diſt. 1. art. 7.

Exa. Sed quæro, utrum ſicut neceſſariò requiritur intentio in recipiente Sacramentum (ut ſupra dictum eſt) ita etiam neceſſariò requiratur & fides? ita quòd ſine fide ſuſcipi non poſſit, putà ſi quis Baptiſmum, uel ordine, aut confirmationem ſuſciperet, non credens in hu-

huiuſmodi Sacramentis aliquid virtutis eſſe, uerè ſuſciperet ipſa Sacramenta?

le. Reſpondetur per diſtinctionem, duabus concluſionibus. Duo enim efficiuntur in anima per baptiſmum, ſiue per alia Sacramenta, characterem imprimentia, character ſcilicet, & gratia.

Eſt ergo prima concluſio, ut recta fides ſit in eo, qui baptizatur, uel ordinatur, & huiuſmodi neceſſaria ad conſequendum prędictorum Sacramentorum fructum: nempe gratiam, & remiſſionem peccatorum. Secundùm illud Roma. 3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti: eſt tamen hic ſemper ſermo de adultis, nam paruuli nullum habere queunt actum fidei.

Secunda concluſio. Ad ſuſcipiendum Sacramentum, eiusq; characterem cum mortua fide, non eſt in ſuſcipiente neceſſaria recta fides; ſicut

nec recta fides Sacramenta conficientis, uel miniſtrantis, dummodo adſint cætera, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet materia, & forma, & intentio Sacramenti conferendi, & ſuſcipiendi, & ratio eſt, quia Sacramenta non perficiuntur per iuſtitiā illius, qui confert, aut ſuſcipit; ſed per virtutem Dei. Vt habetur de conſecra. diſt. 4. can. Baptiſ. Hæc ex S. Tho. 4. ſent. diſt. 6. q. 1. ar. 3. & 3. par. q. 68. artic. 8. Caiet. ibid. Sot. 4. diſtin. 5. quæſt. 1. art. 8.

Exa. Adhuc reſtant duo dubia, ut tandem finem huic dialogo imponamus. Et primò quæro, utrum ſicut nō licet inducere malum miniſtrum ad Sacramenta miniſtranda, nec ipſa recipere à concubinario publico, & notorio, (ut ſupra dictum eſt) ita etiam non liceat uidere illorum miſſam?

Secundò, quæro cum Sacramentorum quædam iterari poſſint, &

quę-

quædam non, quam pœnam incurrerent, qui illa iterarent, quæ non essent iteranda, tam in conferendo, quàm in recipiendo ea?

le. Ad primum dico, quòd illudmet seruandum omnino est, in auditione, vel visione missæ nequam sacerdotis, uel excommunicati ministri; quod seruandum fore diximus de receptione Sacramentorum ab huiusmodi, & de inductione ad Sacramenta ministranda.

Quare dum licebit de manu eorum Sacramenta suscipere, uel eos ad hoc inducere; licebit etiam & eorum missam audire, ubi autem nefas est, & prohibitum ab eis Sacramenta percipere, uel eos ad hoc inducere; nefas etiam erit, & prohibitum eorum missam uidere: ex S. Thom. 3. parte q. 82. art. 9.

Est tamen non mediocre dubium (ut Nauar. inquit) inter recentiores, an

qui audiunt missam publici concubinarij, mortaliter peccent.

Verùm, ut resolutoriè respondeã, dico cum diuo Thoma, quòd qui uident missam concubinarij, peccant mortaliter.

Attendendum tamen est, quòd hoc non intelligitur de quolibet sacerdote fornicario, sed de publicis fornicarijs, qui propriè dicuntur publici, quando iudicio, & sententia Ecclesiæ vocantur publici; uel quando non potest peccatum aliqua tergiuersatione celari.

Peccant etiam mortaliter illi, qui huiusmodi concubinarios, & fornicarios publicos inducunt ad celebrandum, & quorum audiens est causa, ut illi celebrent, & sine iusta causa eorum missam audiunt; quia mortale peccatum est præbere causam mortaliter peccandi. Hæc ex S. Tho. 3. p. quæst. 82. art. 9. Nauar. cap. 25. §. 78.

Syl.

Syl.cleric. 2.§.4. & de hoc etiam dialog.5.§.792.

xa. Quid si aliquis ex ignorantia non crederet esse peccatum huiusmodi sacerdotis missam audire, num excusabitur à mortali peccato?

le. Scientes, uel scire debentes hanc legem, quòd qui missam prædictorum sacerdotum audiunt, peccant mortaliter, non excusantur; qui autem probabiliter ignorant hanc legem prohibentem, ne quis missam concubinarij notorij, aut fornicarij audiat, non peccant, quia ignorantia probabili iuris positiui excusantur. capit. 2. de constitut. ut Nauar. cap.25.§.79.

Neque confessarius tenetur ad docendum eam pœnitentiam, imò imprudentiæ esset id facere, ut ait Gab. in 4.dist. 13.q. 1. dubio 4.& Rosella verbo clericus 3.§.2.

Sed hoc intelligendum (secundùm

Nauar.)

Nauar.) quando considerata qualitate pœnitentis, & clerici, illa admonitio nihil prodesse crediderit. Hæc ille. cap eod. 25. §. 79.

Exa. Si prohibemur uidere missam publici excommunicati, uel notorij concubinarij, utrum etiam, prohibeamur adorare Hostiam, & Calicem; quando illa ipsi in missa eleuantur.

Cle. Inquit D. Tho. quòd Hostia à talibus consecrata, est adoranda, & si seruetur, licitè potest sumi à sacerdote legitimo, nec ille 3. parte quæstio. 82. artic. 9. ad 1.

Exa. Sed quæro utrum missa prædictorum Sacerdotum excommunicatorum, uel concubinariorum, & huiusmodi sit alicuius ualoris? & tantum ualeat missa mali sacerdotis, quã tum boni sacerdotis?

Cle. Dicunt Doctores, quòd licèt quo ad essentialia missæ scilicet continentiam realem corporis, & sanguinis

Do-

Domini, & quo ad effectum operis operati pares ſint miſſa boni ſacerdotis, & mali.

Quoad tamen preces, & effectum operis, multò melior, & efficacior eſt miſſa boni, & plus ualet ad impetrandum gratiam, quàm mali Sacerdotis, ſecundùm omnes Theologos.

Quanto enim melius eſt inſtrumentum, tantò opus melius efficitur. Et ideo cæteris paribus, melius eſt audire miſſam boni Sacerdotis, quàm mali, ut bene S. Tho. innuit.

Quo fit, ut prudentiæ ſit potius commendare miſſam Sacerdoti bono, quàm malo. tum quia commendare illi eſt aliquale peccandi periculum, commendare autem huic, nullum. ut optimè conſulit Nauar.

xa. Quid ſi inſtet dies feſtus quo quis uidere miſſam tenetur, & non adeſſet alius ſacerdos, niſi excommunicatus, ſeu publicus concubinarius, qui celebrare poſſet, num eſſet uidenda

illorum

illorum missa.

Cle. In hoc casu homo esset liber à pręcepto, & excusaretur ab obligatione de uidendo missam, nam tunc magis abstinere debet à missa, quàm uidere missam horum sacerdotum. ut Syl. verbo. Missa 2. §. 3.

Exa. Quid dicitis ad dubium de iterantibus Sacramenta, quæ non sunt iterabilia?

Cle. Qui reiterant Sacramenta characterem imprimentia, tam dantes, quàm recipientes illa scienter, peccant mortaliter secundùm omnes: & ultra peccatum mortale fiunt etiam irregulares secundùm aliquos, & nisi per Papam dispensantur, nisi ignorantia probabili hoc faciant; quia tunc per Episcopum dispensari possunt. De consecr. distin. 5. cap. quòd agit de bis confirmatis. & cap. 1. 68. dist. quod agit de bis ordinatis. & ita tenent Sanct. Anto. 3. parte titu. 28. capitu. 6. §. 3. & Nauar. capitu. 27. §. 247.

§.2 47.& alij.

Alij autem tenent, quòd irregularitatem non incurrunt Sacramenta iterantes, præter baptiſmum, itaque ſolum illi irregularitatem incurrunt ſecundùm iſtos, qui bis recipiunt, uel dant Sacramentum baptiſmi, non autem qui alia Sacramenta non reiterant, dando, uel recipiendo illa pluries.

Et ratio eorum eſt, quia priuilegia amplianda ſunt, pœnæ uerò reſtringendæ. Quare cùm in iure non decernatur irregularitatis pœna, niſi iterantibus Baptiſmum, non eſt ad iterantes alia Sacramenta extendenda, inſuper pœna irregularitatis in odium Donatiſtarum fuit rebaptizantibus impoſita, quippe qui illam ſuſtinebant hæreſim, quòd baptizati ab hæreticis eſſent rebaptizandi, quæ quidem ratio de alijs Sacramentis, non militant. Et hanc poſitionem

tenent,

tenent Scotus qui acerrimè eam defendit 4. ſent. diſt. 7. q. 5. & Palud. eadem diſt. quæſt. 2. & Sotus 4. diſt. 7. q. 1. art. 5. & alij.

Exa. Quam opinionem ſequeris?

Cle. Sequor hanc ſecundam propter rationem allatam.

Exa. Et quid reſpondendum eſſet ad authoritatem quam adducunt hi, qui primam opinionem amplectuntur?

Cle. Dico, quòd licèt in dicto cap. quod ipſi allegant fiat mentio de alijs etiam Sacramentis puta de Sacramento ordinis, & confirmationis tamen; non fit mentio ibi de irregularitate, niſi pro iteratione Baptiſmi. ut notat. Angelica, irregularitas. §. 24. & Armilla ibidem. §. 84.

Exa. Quid ſi aliquis ex ignorantia rebaptizet, uel rebaptizetur, num pœnam irregularitatis incurretur?

Cle. Si eſt ignorantia facti, & ſit inculpabilis, puta ſi quis ſe eſſe baptizatum

legitimè

legitimè ignorás, iterum baptizetur, aut ſi baptizetnr ignorans ſe baptizari, ut ſi ipſum inſcium alter rebaptizet, uel ſi ſacerdos in Eccleſia, baptizet puerum ſibi oblatum, qui iam domi occultè alio fuerat baptizatus: excuſat à pena irregularitatis, & ab omni culpa. Sed ſi eſt ignorantia iuris, puta ſi quis ignorans pœnam in iure appoſitam contra rebaptizationem, ſcienter rebaptizet, uel rebaptizatur: non excuſatur ab irregularitate, & ita tenent Scotus 4. ſenten. diſt. 6. q. 8. & Nauar. cap. 27. §. 246. & alij plures.

Et præcipuè Sotus, qui tamen addidit, quòd ſi quis habet inuincibilem ignorantiam iuris excuſatur ab irregularitate, ut ſi quis ruſticorum puer, ignorans prorſus ſe male facere, aut alium rebaptizaret, aut ab alio paruulo rebaptizaretur, fortaſſe quoniam nullam commiſit culpam, nullam

lam contraheret irregularitatem. Hæc ille 4. ſent. diſt. 3. quęſt. 1. ar. 9. Alij autem tenent qua nec ignorantia facti excuſat ab irregularitate, quo ad rebaptizatum tantùm, non autem rebaptizantem. & hanc opinionem ſequitur Palud. 4. ſent. diſt. 6. q. 4. & conſentire videtur S. Anto. in 3. parte tit. 14. cap. 13. §. 12.

Sed prima opinio eſt melior, & uerior; & ideo ſequenda.

FINIS DIALOGI.



CIRCVNSTANTIAE CONFESSIONIS,

quæ apponi debuerant in isto fol. 25.

VIDELICET,

Quis, Quid, Vbi, Per quos, Quoties, Cur, Quomodo, Quando.



QVIS ipse peccator sit, Clericus, uel laicus, iuuenis, uel senex, &c. nam magis peccant si sint Sacerdotes, uel Clerici, quàm laici, senes, quàm iuuenes, maiores, quàm minores.

Quid, idest si enorme, uel paruũ, et si sit peccatum, Iræ, Gulæ, uel Luxuriæ, uel si percusserit clericum, uel laicum, & huiusmodi.

Vbi, in loco sacro, uel prophano, uel publico.

Per quos, idest quibus medianti-

bus, quibus auxilijs ſi per ſe, uel per alios fieri fecit, & ſi per clericos, uel laicos.

Quoties, ideſt ſi reiterauerit tale peccatum, & quoties idem peccatum, ſi in memoria habet dicat, uel ſi ſemel uel pluries, ſecundùm exiſtimationem ſuam dicat numerum.

Cur, ſcilicet, qua intentione, quo animo, ſi præuenit tentationem, uel ab ea fuit præuentus, uel qua occaſione id fecit, ſi cupiditate, an paupertate, ſi iocosè, an ſerio.

Quomodo, ideſt per quem modum id fecit, uel qualiter fecerit, ſi fuit agens, uel patiens, ſi indebitis modis, & ignominia, ut in luxuria, & in homicidio, ut Piratæ, & deprædatores, &c.

Quando, ſi tempore ſacro, feſtiuo, uel tempore ieiunij, uel quando uult communicare.

DE CONDITIONIBVS CONFESSIONIS.

Debet confeſſio decemſeptem conditiones habere ad hoc, quòd ſit perfecta, quæ in his uerſibus continentur.

Sit Simplex, Humilis, Vera, Pura, Fidelis,
Atq. frequens, Nuda, Diſcreta, Libens, Verecunda,
Integra, Secreta, Lacrymabilis, Accelerata
Fortis, & Accuſans, ac ſit parere parata.

1 SIt ſimplex. i. ſine admixtione rerũ impertinentium, quòd non recitet in confeſſione, niſi quod ad quantitatem, & qualitatem peccati pertinet.

2 Humilis, ut ſe miſerum confiteatur, & infirmum, & flexis genibus, & capite diſcooperto, ſi eſt uir: ſi eſt mulier uelato capite, & ſit humilis corde, & in modo loquendi.

Vera, in uera fide dicta non dimit-

tendo necessaria, nec confitendo, quę non fecit peccata, nec mentiri in confessione.

4 Pura, scilicet recta sit intentio ad ueniam consequendam solum, & non ad hoc ut bonus reputetur, uel ut euadat flagella, & alias temporales tribulationes.

5 Fidelis, ideſt fide uiua, & sincera, scilicet quòd tam confitens, quàm sacerdos sint uerè fideles, & quę dicunt sint uera, & non iocosa, & in uera fide dicta.

6 Frequens, quia eſt ualde utilis, ut, qui frequenter cadit, frequenter resurgat per confessionē, & quanto pluries confitetur turpitudinē criminis, tāto facilius inueniet gratiam remissionis.

7 Nuda, quòd non inuoluatur obscuritate uerborum, ne sacerdos intelligat, non tamen loqui debet inhoneſtè in materia turpi; sed tantum ut sacerdos intelligat.

8 Diſcreta . i. ſciens quòd maiora cũ maiori grauitate, & dolore confiteatur, & confiteatur diſcreto ſacerdoti, ut ſciat interrogare, & dicat diſtinctè peccata mortalia omni meliori modo, quo poſſit recordari.

9 Libens, ſeu uoluntaria, libenter facta, & non coacta per aliquem timorem, ut in pueris.

10 Verecunda, ut non ſe iactet de peccatis, propter aliquam ſeculi uanitatem admixtam: ſed erubeſcat de peccato, & offenſione Dei, & Proximi, quoniam uerecundia magna eſt pœna, quàm peccator patitur, reuelando pudenda ſua.

11 Integra, ut nõ ſubtrahatur aliquid de his, quę manifeſtanda ſunt, neque diuidat confeſſionem, ſed uni ſoli ſacerdoti omnia peccata, & omnes circunſtantias neceſſarias, quas habet in memoria confiteatur.

12 Secreta, ex parte confitentis, & con

fessoris, ne alta uoce confiteatur peccata sua, & hoc propter scandalum, neque iactet se cum alijs, dicens confessus sum talia, & talia peccata; & confessor debet iniungere secretò Pœnitentiam, ne ab alijs audiatur, neque reuelare confessionem Pœnitentis potest, quacunque ex causa, uel quocunque prætextu.

13 Lacrymabilis, scilicet cum dolore, & displicentia mentis, & cordis omnium suorum peccatorum, atq; cum proposito deinceps non committendi illa, uel alia peccata mortalia.

14 Accelerata ne nimis prolongetur, sed citò post peccatum mortale confiteatur, habita opportunitate, uel habeat propositum confitendi, quando tenetur in periculo mortis, & quando uult communicare.

15 Fortis, ut non dimittat peccata propter uerecundiam, uel timorem.

16 Accusans se ipsum, & non alios,

& non excuſet ſe accuſando peccata aliorum.

17 Sit parere parata ſacerdoti, ideſt obedire confeſſori in his, quæ diſcretè ſibi imponuntur, & hoc cum interiori gaudio, quia uitam recuperat infinitam.



IMPEDIMENTA MATRIMONII,

quæ apponi debuerant in isto fol. 49.

Duodecim sunt impedimenta matrimonij, quæ matrimonium contrahendum impediunt, & iam contractum separant, quæ detinentur in his versibus.

Error, Conditio, Votũ, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

1 ERROR, ut si quis credebat contrahere cum Maria, & contraxit cum Dorothea, vel credit contrahere cum primigenita, & supposita fuit ei secunda, seu tertia, & sic intelligitur de muliere erga uirum.

Con-

2 Conditio quoq; impedit matrimo nium quando unus ex coniugatis inuenit aliam esse seruam, quam putabat liberam, eoq́; magis si aliæ honestæ conditiones appositæ fuerint, uti si pater assentiet, uel si fuerit dos tanta, quæ si fuerint ueræ conditiones suspendunt matrimonium, donec adimpleantur.

3 Votum approbatæ religionis, aut sit professionis tacitæ, uel expressæ, impedit matrimonium, impeditq́; iam contractum, solemne inquam, nam simplex uotum uim habet solum impediendi; sed nequaquam dirimendi.

4 Cognatio impediens, & dirimens, ut inferius enodate dicetur, triplex est, scilicet Naturalis, Spiritualis, & legalis. Naturalis diuiditur in consanguinitatem, & affinitatem.

Consanguinitas est propinquitas ex uno eodemq́ue sanguine prouenien:

niens: uel eſt uinculum perſonarum ab eodem ſtipite aſcendentium, uel deſcendentium carnali propagatione contractum, quæ impedit uſque ad quartum gradum incluſiuè.

Affinitas eſt proximitas perſonarũ proueniens ex copula carnali per maritum, & uxorem, nam mulier efficitur affinis omnium conſanguineorũ uiri ſui, & ipſe efficitur omnium mulierum conſanguinearum dictę mulieris, uſque ad quartum gradum incluſiuè, ideoq́; illa non poteſt nubere alicui illorum conſanguineorum in eodem gradu, ut dictum eſt de conſanguinitate.

Eſt & aliud genus cognationis, quod prouenit ex copula carnali fornicationis, quod impediebat ante ſacrum Concilium Tridentinum uſq; ad quartum gradum, ut ſupra dictum eſt; ſed per dicti ſacri Concilij reformationem, hodie impedit tantum

tum illos qui hoc pacto ſunt coniuncti in primo, & ſecundo gradu, in ceteris gradibus poteſt contrahi.

Spiritualis cognatio contrahitur per ſacramenta Baptiſmi, & Confirmationis, ut ſuis locis dictum eſt.

Legalis cognatio ex adoptione, qua quis adoptat aliquem in filium, uel aliquam in filiam, quæ impedit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & inter filios unius, & alterius cum ipſis: præterquam in caſu emancipationis, in eo enim caſu nullum erit impedimentum inter filios adoptantis, & adoptati; adoptans uero nullo tempore poterit ducere uxorem filiam adoptatam, etiam ſi emancipata fuerit.

5 Crimen, multa ſunt crimina, quæ impediunt matrimonium contrahēdum; ſed non dirimunt contractum, ſicut Inceſtus, Vxoricidium, ſi quis occiderit Sacerdotem, & alia. Verùm

quæ-

quædam ſunt quę impediunt contra-
hendum, & dirimunt contractum, ſi
cuti ſi Coniunx cum Adultero ma-
chinatur mortem mariti, ut illum poſ
ſit habere in maritum, ſecuta morte
non poteſt inter eos eſſe matrimo-
nium. Item ſi promittit adulteræ ui-
uente uxore ſua ducere eã in uxorem.
Item ſi uiuente legitima uxore ſcien-
ter adulteram ſuperinducit in uxorẽ,
& alia, quæ breuitatis cauſa dimit-
tuntur.

6 Cultus diſparitas impedit, diri-
mitq́; matrimonium, quia inter ba-
ptizatum, & non baptizatum, matri
monium eſſe minime poteſt, quoniã
cum ſit Baptiſmus ianua per quam
itur ad alia ſacramenta, impoſſibi-
le enim eſt ſi illum non ſuſceperit,
poſſe ad alium ſacramentum pro-
gredi.

7 Vis illata alicui contrahentium im
pedit ſimiliter matrimonium, quæ

uiolentia poteſt oriri à metu mortis, uerberum, ſeruitutis, & ſimilium.

8 Ordinem ſacrum habentes non poſſunt contrahere, et ſi contrahunt non tenet.

9 Ligamen quoque impedit, ac ſepa rat matrimonium, hoc eſt eſſe alligatum per uerba de præſenti alteri licèt non conſumauerit matrimonium dummodo ipſa uerba fuerint facta iuxta decretum ſacri Concilij Tridentini, nam uiuente ipſa cum alijs contrahere non poteſt.

10 Honeſtas, ideſt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, eſt propinquitas proueniens ex ſponſalibus, ut ſi quis deſponſaſſet puellam ſeptē annorum, uel aliam, quamuis eam non cognouiſſet, nullus tamen de conſanguinitate poterat eam habere in uxorem, nec ipſe aliquam de conſanguinitate eius uſque ad quartum gradum incluſiuè, quę propinquitas

per

per decretum ſacri Concilij Tridentini non excedit primum gradum, ſi ſint ſponſalia quacunque ratione ualida, ſi uerò non, per eundem Concilium prorſus ſublata ſunt.

11 Affinitas, de hoc impedimento dictum eſt ſupra in quarto de cognatione.

12 Impotentia coeundi, ſi quis per impotentiam non poterit coire, impedit contrahendum, & dirimit contractum; ſi uerò eſt impedimentum accidentale, & poteſt per medicinam remoueri ualet, & tenet, ſi uerò non, nullum eſt matrimonium.

FINIS.

coll crimp